

POTENTIA AUDITIVA  
Cum ejus Objecto  
**SONO, ET VOCE,**  
AD MENTEM  
**ARISTOTELIS**  
ET PRINCIPIA  
**S C H O L Æ** 1757  
**PERIPATETICÆ**

Contra  
Opiniones Antiperipateticæ  
corum proposita



**P. PHILIPP  
LOSERTH**  
e Societate JESU,

AA. LL. & Philosophiæ  
Doctore, Ejusdémque in Alma,  
Cæsarea, Regia, ac Episcopali Universi-  
tate Olomucensi Professore Regio,  
Publico ac Ordinario.

# PRÆFATIO Ad DD. Neo-Baccalaureos.

**N**ter plurima nature opera, que admirabilis DEI Creatoris potentia etiam E-ruditorum ingenii abscondita voluit, non immerito censenda venit ipsa Auditus compages, totaque economia; quippe nemo sa-  
lis illis, quibus aurium fabrica partibus constat, cetera ana-  
fractibus, cuniculis, cavernis, dobleis, latebris, que labyrinthis, sua tribuit nomina, nedum officia, ma-  
niaque consentaneè enumeravit; non quid universi persp-  
ectori carerent mentis acte, at potius, quid Creatrix O-  
mniscientia nonnulla in humana debilitatis documentum  
boninam latere decrevisset. Vocis vero, ac soni tam ab-  
dita, tam arcana est genesis, ac propagatio, adeò miri ef-  
fectus, & prodigiosa attributa, ut quemadmodum nihil  
est sonò communius, nibil vocibus familiarius, ita nihil  
minus cognitum, aut definitum eruditis rerum Investigato-  
ribus esse videatur. Scriptis de sono acutè, sed  
paucula Philosopherum Princeps Aristoteles; verum seu ut-  
liora naturalis scientie Seclatoribus pertractanda babere  
studia, ad alia animum, & pennam convertit. Hunc  
secuti alii, cum primis Medica artis periti, vocis naturam,  
ne penitus lateret, examinare, tum verò explanaro sedulè  
adnivebantur, atque ea felicitate, ut in laboris sui prami-  
um extra peculiarem ingenii commendationem nonnulla,  
licet non singula revelasse censeantur. Horum itaque, ut  
& aliorum Philosopherum Peripateticorum, sensa & do-  
gma in praesentem collegimus libellum refutare Antipe-  
ripateticorum circa sonum Sententia, annexis quibusdam  
ejusdem argumenti problematis, & inspersis experimen-  
tis: Vobis libeat DD. Neo-Baccalaurei prima Philosophia  
laurea insigniti, cum ex monte, & institutione Philoso-  
phi de Auditu Physico discurratis Peripatetici, diligenti  
dagine veritatis facere experimentum.



# DISPUTATIO ACUSTICA DE Potentia auditiva , ejus Objecto, & Speciebus Soni.

**N**omine auditūs illam potentiam intelligi , quā exterior sonus ab audiēte excipitur , clarē ex ejus definitione liquet , quā communiter à Peripateticis *potentia externa solius soni perceptiva* , definitur. Hujus utilitatem , juxta ac nobilitatem Arles Lib. de sens. & sensibil. & ampliūs Doctor Mellifluus demonstrat , dum eidem Serm. 28. in Cant. Cantic. primatum inter cæteros sensus attribuit , quod hic perdiscendis fidei mysteriis p̄t̄ aliis ut plurimūm esset necessarius. Verba illius sunt : *Et ut scias , Spiritum Sanctum hunc in anime spirituali profecū ordinem observare , ut videlicet prius formet auditum , quam latificer visum. Adit , inquit , filia , & vide ; quid intendis oculum tuum ?*

*rem para. Videre desideras Christum? oportet te prius audire de Eo, ut dicas, cum videris: sicut audiivimus, sic vidimus. Immensa claritas, visus angustus, & non potes ad eam; potes auditu, sed non aspectu. Neque verò alicui de necessitate potentiae acusticæ, quæ una utilissimis disciplinis, artibus, & scientiis servit, dubium unquam fuerit; sola autem in explicando ejus organo, objecto, sonique speciebus versatur difficultas. Licet enim huic enodandæ plurimi, ingenio etiam subtiliori præditi, suam non segnem addixerint operam, à nemine tamen ex æquo usque modò fuit enodata, ut plurimorum est opinio, quando vel in designando acusticæ proprio suo organo plurimæ Authorum variant sententiae. Nos igitur optimorum sensa referentes primùm exteriorem, ac interiorem auris figuram, constitutionemque ponderabimns, subjungentes insimul, in quam Parte auris fiat auditio; deinde & objectum ejus, & species sonorum pertractaturi.*

## QUÆSTIO I. De Potentiæ auditivæ Organo.

### ARTICULUS I.

*De exteriore auris Structura.*

N. I. **Q**uemadmodum potentiae visivæ de oculo, ita quoque acusticæ, seu au-

auditivæ de auribus miro prorsus organo providit rerum omnium Sapientissimus Conditor DEUS. Hujus fabrica multis anfractibus, cavernis, cochleis, latebris, velut labyrinthis, diversis cartilaginibus, ossiculis constructa, à nuperis Medicis subtiliori anatomia aliquantum cognita admirandam DEI commendat omnipotentiam, quæ admirabili artificio tale naturæ condidisset arcanum, quod neque acuti ingenii homines satis intelligerent; semper enim, inquit Fromondus Lib. 3. de anima c. 4. artic. 10. in ipsis naturæ miraculis aliquid Divina sibi reservat creatrix potentia, nè penitus cognita admirationem perdant, & ut superbia nostra promptius intellectum in obsequium captivet fidei, dum tam vicina, & familiaria sensibus intellectione minime affequuntur.

N. II. Externa, quæ se visui objicit auris structura, communis appellatione auricula audit, diciturque compacta ex cartilagine, materia quadam media inter carnem & ossa, & modico irrigata sanguine: si enim ossea fuisset, levi de causa trangi posset, & animali dormienti non parvo foret impedimento; si verò mollis, & carnea: non servaret figuram fornícis, & conchæ, sed facilè collaboretur, & indecorè penderet, aërisque ingressum intercluderet. Componunt verò auriculam diverse partes ex Anatomicorum placitis manife-

statæ, quales sunt : *Ala*, aliter *Pinna*, *Helix*, seu *capreolus*, *Antelix*, *gibbus*, *Tragæ*, *hircus*, *Antitragus*, *concha*, & *lobus*. *Ala* (A) (vide Fig. 1.) Græcis Πτερυγιώματα pars est auriculæ superior tota cartilaginea in osseam substantiam desinens è concha tempora versus reflexa; hanc ambit *Helix* a vulgo *capreolus*, & est ipsius Alæ superficies exterior, & circuitus, opponitur *Helici Antelix* (b) interior tota auriculæ circumferentia ipsam concham circumdans (E) Mediat inter *Helicen*, & *Anthelicen* *Gibbus Latinis*, Græcis κυρτοειδεις sequitur *Tragæ* (c) pars iila, quæ è temporum fine eminet, & cum *Antitrago* (d) sibi opposita pilosa parum auriculæ portione *Helicen* cum *Anthelice* semicirculo conjungit, propè concham, illam medium auriculæ cavitatem, quæ aditum ad labyrinthum interiorem pandit; demum pars auriculæ minus cartilaginea, magis carnosæ à maxilla plerisque soluta *Bllobus* compellatur.

N. III. Auriculæ usum ex Galeno Lib. 8. de usu partium c. 6. notant Conimbricenses in eo consistere, quod sonos excipiat, hosque ad primos aurium meatus refundat; hinc quibus aures præcisæ sunt, aut obtusiore auditu sonos excipiunt, aut planè ad illos obsurdescunt; in quibus tamen excipiendis beneficio manus cavæ meatus interioribus admo-

motæ multùm adjuvantur , quod Hadriano Imperatori expertum , probatùmque docent Historici.

## ARTICULUS II.

### De interiore auris Structura.

N. IV. Propositâ in compendio exteriore auris , seu auriculæ figurâ , plura de interiore ejusdem constitutione veniunt ruminanda . Ut autem excipiendo sono subservit auricula , ità ipsi auditioni maxime idonei sunt variii meatus , ductus , semitæ , circuli , tympanum , cavernæ . Aurium meatus , in quibus sonus recipitur , complures suat , horum primarius Græcis πορον ακατηκόν , Latinis meatus auditorius C. Fig. 2. & 3. prima cujusvis aetate totus cartilagineus , annis adolescentibus osseo-cartilagineus , in senio totus osseus praecedit tympanum D. Fig. 2. & 3. cum adjunctis tribus ossiculis , quæ Anatomiae persiti malleolum , incudem , & stapedem , quod horum speciem referant , compellant .

N. V. Est autem tympanum membrana quædam osseò circulò , & cavernæ proximo obtensa ; licet enim hanc Fromondus cum nonnullis miringen , aut melius meningen vocari existimet , ipsum verò tympanum illam osseam cavitatem , quæ miringe tanquam corio obducitur , vocet , nobis tamen plurimis conscientibus cum Julio Cafferio , membra-

nam ipsam tympanum, cavitatem verò interiorē, concham rectius placet appellare. Membrana hæc omnium siccissima, pellucida, adeoque levis est, ut Hypocrates illam telæ araneæ comparare non dubitaverit, quamvis texturæ tam firmæ, ut poris carere à rerum peritis dicitur; ultimum hoc controvertunt alii, qui poros tympani membranæ, utrū tenuissimos adscribunt, nam illos etiam indicat tenuis ille humor, qui per medium membranam transudans in materiam flavam concretus auribus eximitur. Est autem, ut dictum, membrana hæc siccissima non tam ad resonandum, quod nonnulli Medici volunt, quam ad liberiorem soni, & aëris trajectiōnem, quippe humida poris humore repletis minime sono aditum præberet; unde in surdastris membrana humore è cerebro defluo madet. A parte interiorē tympanum tenuissimo per medium ducto nervo, ut ferè tympanum militare chordā præcinctus; hujus officium est primò membranam firmare, nè aëris externi vehementi impulsu rumpatur, aut longius intrà conchæ cavitatem protrudatur. Secundò: ut malleum, cuius extremitati cojangitur, fixius alliget, ut Schottus refert, part. 2. lib. 2. de Magia Phonologica c. 3. ex Julio Casserio.

N. VI. Porro tympano internam versus cavitatem alligata sunt per dictum nervum ossicula tria, nempe: malleus, incus, & stapes cum

cum rotundo alio distincto officulo. *Columbus*, & quidam alii Fromondo teste, existimant: cùm tympanum sonō extero impellitur, in- cudem malleō tundi, & sic sonare. Sed fal- luntur, inquit idem Fromondus: nam tria ista officula simul concreta sunt, nec malleus avelli potest, ut tundat in eudem; unde quan- do tympani membrana ab extero aere, aut sono impellitur, unā cum ea dicta officula, & chorda moventur, & intrā cavitatem interio- rem inflectuntur, & cessante impetu in locum suum restituuntur. Deinde sonus iste mallei longè à sonitu extero dispareat, ac proin- de perturbaret potius (ut tinnitus aurium so- let) soni exterioris sensum, cùm tamen omnia in acustico organo ex naturæ destinatione ad genuinam sensibilium externorum expressio- nem sint fabricata. Addit tamen Fromondus, etiamsi officula chordæ instar aranei fili tenu- issimæ, & malleus tam exiguis tantulæ incu- di affricarentur, nullum inde sensibilem soni- tum exilire posse, ac proinde ad illum sonan- di finem instrumenta illa inutilia fore. Schot- tus verò existimat, si vel minimum à tympa- no soluta illum impellerent, ingentem in au- re excitatum iri strepitum, omnem externi soni perceptionem perturbantem: nec enim leviūs impellerent tympani superficiem interio- rem, quam soni levissimi exteriorem superfici- em ejusdem tympani; & tamen ad impulsu-

hujus sequitur sensatio<sup>e</sup> in aure interiore.  
 Quem verò usum tria illa ossicula tympano appensa habeant, in ordine ad auditionem, huc usque ignoratum. Certum tamen est non frustra esse fabricata, imò tam necessaria esse ad sonorum modulationes DEI Sapientia existimavit, ut cùm cætera humani corporis ossa cum ætate, & mole corporis crescunt, tria illa omne statim incrementum in prima pueritia capiant, nec majora in viris, quām in pueris cernantur, ut Fallopius notavit lib. I. c. 6. de ossibus. Tympanum sequitur meatus secundus interior in osse petrolo, Aristoteli cochlea h. Fig. 2. aliis pelvis vocatus; continet aërem innatum ex eo dictum, quod sub principium generationis implantetur: cochleam terminat foramen aliud tenui membrana obductum, hoc Anatomiæ periti fenestram ovalem dicunt, qnæ basi stapedis occluditur; sentiunt lìdem de aëre innato, quod hic mota miringe, seu membrana commotus soni differentias in cochlea exprimat, unde ad organum acusticum cochleæ proximum deferantur. Tertius meatus aëre quoque innato repletus, vulgo labyrinthus, in varias spiras inflexus dividitur in canalem superiorem & inferiorem L. medium K. quorum aditus excipiendo sonoidoneos figura 2da exhibet. Quartus demum meatus omnium angustissimus, aliter foramen cœcum, habet in extremitate pervum audi-

※)(ii)(※

torium, qui è cerebro spiritus animales ad auditum defert, quemadmodum per nervos opticós spiritus ad oculūm deferuntur.

### ARTICULUS III.

An auditio fiat in membrana tympani,  
vel in aëre innato?

#### §. I.

*Refert variorum Authorum Sententias,*  
• & prænotat.

N.VI. PRænoto i. Expositâ laconicè auditoriæ officinæ fabricâ restat inquirere, in qua parte auris facultas ipsa audiendi residiat. Quamvis enim aliis sensibus, ita & auditu multæ subserviant partes, unam tamen oportet statuere, quæ instrumenti primarii subeat vicem, ut in visu communiter juxta recentiores sola tunica retina ab ipsa substantia medullari è cerebro delabente propagata admittitur. Variæ verò partes juxta diversitatem sententiarum assignantur, in quibus auditionem tanquam actum vitalem à principio intrinseco vitali immanenter operativo productum Patroni illarum fieri existimant. Themistins putat, ut refert Theophilus ad texum 82. lib. 2., præcipuum auditū organum esse spiritum, ad quem per innatum aërem quasi per domesticum nuncium soni transve-

hun-

huntur. Spiritum hunc dicit esse ejusdem naturæ cum sanguine. Alii, in quorum numero est Vesalius lib. I. de humani corporis fabrica c. 8. censent; organum auditūs, in quo perficitur auditio, membranam tympani. Alii denique judicant, inter quos videtur esse Du-Hamel part. 3. c. 4. sub finem: auditum fieri in labyrintho.

N. VIII. Prænoto 2. Conimbricenses in lib. 9. Arlis de anima c. 9. art. 2. tanquam certissimum autumant: verum, atque proprium audiendi instrumentum esse aërem conge-nitum, sive inædificatum auribus, quem membranā inclusum esse ajunt, nè foras expiret, atque externis injuriis pateat. Citant pro sua sententia Philosophorum Principem Ari-stotelem, qui c. 8. textu 83. docet oportere hujusmodi aërem (in quo nempe sit auditio) immobilem, ac tranquillum esse, ut externos-sónos percipiat, omnésque eorum differenti-as exacte cognoscat. Amplectitur & senten-tiam hanc præter alios Galenus lib. 8. de usu partium c. 6., quo loco ita scribit: Alteras nr̄ non à quovis sensibili omne sensorum, sed splen-didum quidem, ac lucidum à coloribus, aërem à sonis, vaporosum ab odoribus, & ut in summa dicam, simile simili notum est, ac familiare. Qui-bus verbis ad suam sententiam comproban-dam hujusmodi rationem innuit: quod sensiter-nus tale esse debet, ut à proprio obiecto possit, ejus-

*in se imagines recipiendo: ejusmodi vero est aer insitus animalibus. Sicut enim id, quod potissimum recipit, ac transvehet sonos, est elementum aëris, ita ad eosdem secundum esse notionale suscipiens maximè idoneus predictus aer nobis insitus, proindeque pars est in eo audiendi organum constitutum. Quæ verba satis omnino declarant aërem insitum, innatum, aut congenitum, vel implantatum, & continuo in meatu auditivo interno stabulantem esse præcipuum auditus organum, quod recipit aut qualitates, aut species soni, cum quibus ad auditionem concurrat. An tamen hæc sententia tutò sustineri possit, patebit in decisione quæstionis. Recentiores demum Anatomici, & Philosophi statuunt auditionem perfici in membrana cochlearis subtensa, vel in dilatatis nervi auditivæ fibris, aut in lamina spirali.*

N. IX. Prænoto 3. sicut omnis actus vitalis, ita etiam auditio & recipitur, & producitur à potentia vitali immanenter operativa; & sicut nullus actus vitalis habetur, nisi à principio intrinseco vitali, ita etiam auditio haberi non potest, nisi dependenter à principio vitali. Ad hoc autem non sufficit, ut principium remotum, quod est anima, sit tantum vitale, sed etiam requiritur, ut principium proximum, quod est instrumentum, aut organum animæ, sit vitale. Ratio hujus est: quia actus vitalis, per quem vivens in actu se.

secundo vivit, non recipitur immediate in anima, sed in organo, seu potentia; non posset autem potentia, vel organum recipere aetum vitalem, nisi esset vitale, ergo etiam requiritur, ut principium proximum, quod est potentia, instrumentum, organum animae sit vitale. Ex quo illico sequitur, quod organum auditus etiam sit vitale, & non tantum cum anima principaliter concurrente eliciat, sed etiam recipiat auditionem. His notatis sit

## § II.

### *Refelluntur Sententiae contraria.*

N. X. **D**ico 1. primarium auditus organum non consistit in membrana tympani. Est haec fententia contra Vesaliū, & Ejus sequaces. Probatur conclusio imò. Si primarium auditus organum esset membrana tympani, tunc in ea deberet terminari, & recipi auditio, atqui in membrana tympani non terminatur, neque recipitur auditio, ergo non est primarium auditus organum. M. claret ex prænot. 3., neque ullus negat. P. m. Si in membrana tympani deberet terminari, & recipi auditio, tunc sonus ulterius non deberet propagari, atqui ulterius propagatur; ergo. P. m. Pulsatā membranā tympani subit sonus in labyrinthi per plurimos flexus, & gyros usque ad nervos auditorios, & membranam cochleæ subtensam,

er-

ergo sonus ultra membranam tympani propagatur. Subf. Sed si sonus ulterius propagatur, hoc ipso auditio non sit in membrana tympani : in ea enim parte auris sit auditio, ubi terminatur sonus, sive hic sit qualitas, sive sit species soni; ergo. Probatur Conclusio 2d. Si primarium auditum organum esset membrana tympani, tunc hac læsa, aut perforata non posset amplius haberi auditio, sicut læsa retina non potest haberi visio; atqui hoc dici non potest; ergo. P. m. Teste Bonnio, & Willisio de anima brutorum c. 14. Canis læsa & perforata tympani membranâ per plures adhuc menses audiebat, donec ob injurias aëris in interiora immediate irruentis, organum auditum fuerit penitus destructum; ergo membrana tympani non est auditum organum, Probatur Conclusio 3d. Si sonus aperto ore excipiatur, causat auditionem, atqui non in membrana tympani, quia talis sonus defertur in aurem primum post membranam tympani, ergo in alia parte auris. M. probatur ex eo, quod surdastris ore aperto loquentibus auscultent, ut eo patulo melius audiant. Hinc docet Kircherus in Phonurgia nova lib. 1. sec. 7. experim. 7. Surdos à nativitate sonos etiam musicos percipere posse : Si videlicet instrumentum sonorum leviter dentibus premant, ac postmodum instrumentum incitetur ad harmonicos motus, Sonus enim testudinis, usque ait,

ait, per collum intrà os propagatus , per nervos in organo acustico vim auditivam mirificè excitat, siveque auditio; licet illa per viam ordinariam fieri non possit , eò , quod externus aër nequeat ad nervum auditorium dñebitè appropinguare , ut potentiam auditivam sufficienter immutare possit , quantum ad auditionem eliciendam requiritur ; ergo.

N. XI. Dico 2. Auditio non sit in aëre ingenito. Est hæc Sententia contra Galenum, Comimbricenses , Veranum , & complures alios. Probatur Conclusio 1mō. Aër ingenitus stabiliter in eadem parte auris existens probabiliter non datur ; ergo. P. A. Juxta Verhayen tractat. 4. c. 15. deducitur ex illa cavitate , in qua insitus dicitur esse aëris, meatus quidam , qui in palatum deflestat ad novum aërem , quoties opus sit , recipiendum, ergo hoc ipso aëris ille ingenitus stabiliter in eadem parte auris existens non datur ; ergo. Probatur Conclusio 2dō. Vel ille aëris innatus , si datur , est vitalis , vel non est vitalis ? neutrū dici potest , ergo auditio non potest fieri in illo aëre ingenito. P. m. Non potest dici vitalis : quia aëris ille utique specie non distinguitur ab aëre externo ; atqui aëris externus non est vitalis , ergo neque internus. Si ab Adversariis admittatur , quod aëris ille non sit vitalis ; infero : ergo in aëre implantato non potest fieri auditio , quia non vitale non est ca-

capax recipiendi in se actionem vitalēm, qna deberet denominari vivens in actu secundo, ergo neque aēr inanimatus, non vitalis est capax recipiendi auditionem, ergo neque auditio potest fieri in aēre illo ingenito. Conf. Sanguis non agit instrumentum, organum cujuscunque sensationis, neque etiam sensationem recipit, ergo neque aēr ingenitus agit instrumentum animae ad auditionem, & eliciendam, & recipiendam. P. C. Ideo sanguis non agit instrumentum cujuscunque sensationis, quia non est animatus, atqui etiam aēr ille, ut constat ex dictis, & amplius adhuc ex dicendis patet, non est animatus, ergo neque aēr potest agere instrumentum aut organum auditionis. Quod vero sanguis non sit animatus, vel exinde patet, quod sit corpus fluidum, & non continuum cum corpore v. g. humano, habeatque se sicut liquor in vase; atqui etiam aēr est corpus fluidum, & non continuum cum corpore humano, ergo etiam aēr non est animatus, ergo in aēre ingenito non potest fieri auditio.

N. XII. Inferes imo. Neque labyrinthum, ut vult Du-Hamel esse instrumentum, & auditū organum. Ratio est: quia labyrinthus non habet membranam subtensam, in quam convenienter incidat sonus, sed habet tantum pelliculam, seu tunicam ossi superindutam (quamvis & hanç neget Riolanus apud

Dionysius lib. 3. Anat. c. 18. alii tamen admittunt) in qua non potest congruè recipi sonus ad efficiendam auditionem. Accedit: quod in labyrintho non terminetur sonus, sed adhuc ulterius propagetur, ergo hoc ipso labyrinthus non potest esse primarium, & præcipuum auditus organum.

N. XIII. Inferes 2dò. Neque Spiritus potest esse principium auditus organum. Ratio est: quia iuxta Themistium sententiae hujus Authorem spiritus hic est ejusdem naturæ cum sanguine, atqui sanguis non est præcipuum auditus organum, ergo neque hic spiritus. M. & m. non controvertitur, Consequentia bene sequitur, ergo. Accedit: quod hic spiritus, uti sanguis non esset animatus, quia pariter non foret continuus cum corpore v. g. humano, ergo hoc ipso non posset agere organum auditus.

### § III.

*Solvit argumenta opposita.*

N. XIV. Objic. 1mò. Illud est organum auditus primarium, in quod defertur sonus, atqui ad membranam tympani defertur sonus, ergo membrana tympani est primarium auditus organum. 2. Membrana tympani est informata ab anima, & est vitalis, consequenter est capax recipiendi audito-

tionem, ergo membrana tympani est organum auditūs. 3. Si membrana tympani non esset auditūs organum, frustrè natura providisset auri de illa, sed hoc dici non potest, cum natura nihil frustra agat; ergo, Resp. D. M. illud est primarium auditūs organum, in quod defertur ultimò sonus, & ubi semper causatur auditio C. M. in quod defertur sonus, non tamen ultimò, sed ulteriùs adhuc propagatur, & in quo aliunde non semper fuerit auditio N. M. D. M. atqui ad membranam tympani defertur sonus non ultimò C. m. ultimò N. ni. & C. Duo necessariò requiruntur ad organum auditūs, primò: ut sonus ad illud ultimò deferatur, & ibidem terminetur. Secundò: ut ibi semper causetur auditio. Ex defectu primi non potest esse organum auditūs *meatus, auditorius*, qui à conchæ coartatione incipit, quia ex eo ulteriùs propagatur ad tympanum; & ob parem rationem nec tympanum primarium auditūs organum esse potest, quia ab hoc rursus defertur in labyrinthum, ab hoc deinceps in membranam cochlearis subrensam. Ex defectu secundi nec membrana tympani organum auditūs agere potest, quia potest sonus ore patulo in autem interiore post tympanum subintrare, & ita causare auditionem.

Ad 2. C. primam partem Antis N. 2dagn. quia ut capax foret recipiendi sonum, debet

## X 20 X

ret in eo ultimò terminari sonus, semperque ibidem auditio fieri, quod non sit, ut constat ex paulo antè dictis. Ad 3. N. M. Imò prorsus providè in aure à natura tympani membrana est collocata, ut nempe externi aëris, per quem sonus affertur, primus impetus; & cradior allapsus temperetur, donec per variis flexus, & gyros debilitetur, & ita commutius in membranam cochlearis subtenet incedat, nè auri noceat, & auditionem impedit; ergo licet membrana tympani non sit auditus organum, tamen non frustra auri de ea natura providit, sicut licet auricula exterior non sit auditus organum, propterea tamen non est frustanea, quia usus illius partim ad ornatum, & symmetriam reliqui corporis pertinet, partim ad arcendas injurias externas ab ipso sensorio deservit, partim certaini irruentis aëris sonum excipit, & colligit, conduceatque ad hoc, ut melius soni, & voces audiantur. Hinc sit, quod illi, quibus auticulæ præcisæ sunt, sonos, & voces quidem audiant, sed in modum resonantis cicadæ, aut aquæ fluitantis; ergo à pari.

N. XV. Replicabis. Si miringa, seu membrana tympani non esset auditus organum, non esset ratio, cur esset provisa tribus officulis, incude, malleolo, & stapede. 2. Cur haec tria officula tum in infantulo, tum in adulto sint ejusdem magnitudinis; ubi & con-

tra

trà in adversa sententia bene reddi ratio pos-  
test primà: quia sicut per flagellum, quod in-  
stans malleoli adhibetur, causatur in tympano  
militari sonus & ita beneficiò malleoli, & reli-  
quorum duorum ossiculorum causetur auditio.  
Secundò: quia ex hoc, quod ossicula semper  
sunt ejusdem magnitudinis, nunquam muta-  
tur organum, ne hoc mutato etiam auditio  
immutetur, aut impediatur; ergo membrana  
tympani videtur esse præcipuum auditùs or-  
ganum. Resp. N. A. & do rationem utrius-  
que. Primo: miringa ideo provisa est tribus  
ossiculis prædictis, ut tendi, & laxari facili-  
us possit, atque adeò sonus per aërem allatus  
commodius subintrare valeat interiorem au-  
ris partem. Secundò car. in infante, &  
adulto incus, stapes, & malleolus ejusdem sint  
magnitudinis, ratio esse videtur, ut tam bene  
infans, ac adultus in disciplinis illico erudiri  
possit, & ob hanc causam oportuit illa sub  
initium esse perfecta. Deinde per malleolum  
non ita pulsatur miringa, sicut tympanum  
militare, ad redendum sonum, sed solùm per  
hoc ossiculum, ut & per reliqua purgantur  
aures, ut ad nervum auditorium species so-  
norum, & auditionis melius deferantur.

N. XVI. Objic. 2dò contra adam Con-  
clus. juxta Arlem lib. 2. de anima c. 8. texu  
83. id est, qui in auribus est collatus, iuris est  
conditus, ut sit immobilis, aqua us hoo sentiat

*differentias omnes motūs.* Ex quo sic argumentatur : juxta Arlem aér, qui est implantatus auribus, est immobilis, ergo datur aér innatus. 2. Juxta Eundem aér sentit, nēmō audiēdo differentias omnes motūs, per quem intelligitur sonus identificatus motni aëris ; ergo in aëre innato sit auditio, ergo etiam aér congenitus est primarium instrumentum, & organum auditūs. 3. Sincere aëre innato nunquam potest haberi auditio, ergo aér innatus est instrumentum, & organum auditūs. P. C. Quia sincere intellectu nunquam potest haberi intellectio, intellectus est potentia, per quam anima intelligit, ergo etiam, quia sincere aëre innato nunquam potest haberi auditio, aér innatus est potentia & organum, per quod anima audit.

Resp. Expl. Arlem : aér qui in auribus est collocatus, intus est congenitus, ut sit immobilis *moraliter*, atque ut hoc sentiat dispositive differentias omnes motūs C. ut sit immobilis *physicè*, atque ut hoc sentiat formaliter N. Sens. Arlis. Potest dici aér immobilis continuò in aure stabulans *moraliter* hoc sensu, quod semper aliquis aér ibidem resideat, & nunquam observetur sensibiliter defecisse, quia physicè licet aliquid amittat, tamen semper per meatum à palato deductum aliud pusiorem, & subtiliorem reassumit. Præterea per aërem innatum transmiuntur species sen-

norum ad nervum auditorium, & sicut hoc aëre primarium auditus organum nunquam sat est dispositum ad eliciendam cum anima auditionem, ergo etiam aëris potest dici sentire dispositivus; non tamen formaliter: alias aëris deberet esse vitalis. Habet itaque se aëris in auro, sicut humor chrystallinus in oculo, atqui in humore chrystallino non sit visio, ergo neque in aëre innato sit aëditio. Accedit: quod si in aëre innato deberet fieri aëditio, species sonorum non ultra aërem propagari deberent, atqui propagantur, sicut species visibiles ultra humorem chrystallinum defertuntur; ergo. Ex quibus Resp. ad argumentum ex textu Aristotelis deductum, intè eriam ad 2. Ad 3. D. A. Sicut aëre innato tanquam dispositione, & medio transmissivo spectatum in nervum auditorium nunquam potest haberi auditio G. A. tanquam formalis principio ut quod auditionis, & organo primo auditus N. A. & C. Etiam sicut humore chrystallino non potest haberi visio, & tamen humor chrystallinus non est primarium visoris organum. Item: sicut cognitione non potest haberi virtus motiva finis, & tamen ipsa cognitione non est virtus movendi ad finem; ergo à pari.

Ad Prob. Compl. Caus. Atis: quia sicut intellectu tanquam principio proximo vitali ut quod intelligendi non potest haberi intellectio,

Etio, intellectus est potentia, per quam ani-  
 ma intelligit C. quia sine intellectu tanquam  
 aliqua conditione, aut pura dispositione non  
 potest haberi intellectio N. caus. Atis & C.  
 Disparitas præterea est: quia species objecto-  
 rum intelligibiles ultimè terminantur in intel-  
 lectu, ita, ut ulterius non defecantur, item  
 est potentia vitalis, ergo sine intellectu tan-  
 quam principio sit quod, & instrumento pri-  
 maria non potest haberi intellectio. At vero  
 species sonorum ultra aërem innatum, si tamen  
 quis est, deferuntur, & aës ille vitalis non est;  
 ergo neque est organum proprium auditus.

N. XVII. Replicabis. Si aës innatus non  
 esset, proprium auditus organum, ideo non  
 esset, quia non esset vitalis, atqui tamen est  
 vires, ergo est proprium auditus organum,

Prob. min. Juxta Simplicium apud Copio-  
 bric. cit. in lib. 2. Arlis cap. 8. art. 2. aës est  
 animatus, nec aeris nomen obtinuit, nisi ab su-  
 misitudinem, quam cum aere elementari habet à  
 se anim. hic tenuis est, ac transpareabilis, ita &  
 illa. Hucusque citatus Authors; ergo aës est  
 vitalis.

2. Aës elementaris recipit sonos,  
 ergo etiam aës innatus recipiet tum species so-  
 norum, tum elicet auditiones: alias non fo-  
 ret sufficiens discrimin inter aërem innatum,  
 & aërem elementarem.

Resp. C. M. præter alias rationes. N. m.  
 ad Prob. N. A. Unde enim probabit Sim-

plicius? quæro enim ex illo, estne aëris ille, qui dicitur innatus, continuus cum residuo corpore hominis, vel non est? si non est continuus, ergo non est animatus, sicut ex eadem ratione sanguis animatus non est. Si est continuus: quæro, habetne solam formam aëris, vel simul formam animæ? Si habet solam formam aëris, ergo non est animatus, quia aëris in se non habet formam viventis; si habet simul formam aëream, & simul formam animæ, ergo duæ formæ substanciales possunt naturaliter informare eandem materiam, quod negavimus in Physica, ergo aëris sive sit continuus, sive discontinuus, non est animatus. Id tamen verum esse potest, quod aëris ille, qui inest auribus, sit depurator à fœcibus, & adhuc subtilior aëre externo.

Ad 2. D. A. Aëris elementaris recipit sonos tanquam medium, per quod propagantur soni. C. A. recipit sonos tanquam aliquod subjectum vitale. N. A. D. imam partem Conseqꝫ ergo etiam aëris innatus recipit species sonorum tanquam medium, per quod ultra propagantur usque ad nervum auditorium C. tanquam subjectum vitale, & primarium auditus organum N. imam partem Cons. 2dam simpliciter nego. Ad causalem dico: quod haud dubie in natura convenienter aëris innatus, & elementaris, disconvenient verò in hoc, quod aëris elementaris forte majores fæces subinde

suscipiat, quām aēr innatus. Deinde hoc ipso, quod non sit sufficiens discrimen inter aērem elementarem, & innatum, non potest ille congenitus aēr agere instrumentum, & proprium auditū organum.

## ARTICULUS IV.

In qua parte auris tandem fiat  
auditio?

### § I.

*Resolvitur Quæstio.*

N. XVIII. **D**ico: Auditio probabilius fit in membrana cochlear subtenso, seu lamina spirali, aut dilatatis nervi auditori fibris. Ita Recentiores Anatomici, ut Diermerbroek, Verhayen, Willis, & plurimi Philosophi, quos inter Cardinalis Ptolomæus, Honoratus Fabri, Baptista de Benedictis, Melchior Corneus, Kircherus, Schottus, & complures alii. Prob. Concl. rīd. Auditio non fit in mīringa, nec in labyrintho, neque in Spīritu, neque denique in aēte, ut veteribus placuit, innato; ergo in membrana cochlear subtenso, seu lamina spirali. Apud ex Artic priore. Prob. Cotif. In ea parte auris probabilius fit auditio, quæ considerata ejus substantia, ac sīc mēritō censemur esse aptissimam ad

ad eliciendam auditionem, atque talis est membrana cochleæ subtenSA; seu lamina spiralis; ergo in hac sit auditio. Prob. 1<sup>a</sup>. quoad remanentem partem: Substantia illius membranæ est nerva vea, vel certò fibra illis nervi acustici intertexta, ut probat Diermerbroek lib. 3. Anat. C. 18, per quas fibrillas nervosas facilimè advehuntur spiritus animales ad auditionem necessarii. Item: si ibi sit auditio, potest facile ejus notitia sensui communi in cerebro existentem per nervum communicari; ergo. Prob. 2<sup>a</sup> pars min. quodam tempore situs hujus membranæ proximus cochleæ, cui est succincta, sit apertissimus; nam hic in eam quam optimè incidunt soni, qui ad ipsam per plurimos flexus, & gyros tandem ex variis meatus, & cavitatibus mediatis, & immediate deferuntur; ergo membrana cochleæ subtenSA est tum quod ad substantiam, tum quoad sicut aptissima ad eliciendam auditionem; ergo. Conscient illud est proprium auditus organum, ita quod disperduntur, & ultimè desinunt nervi auditorii, à medullari substantia cerebri descendentes; sed in membrana cochleæ subtenSA desinunt ejusmodi nervi, ergo. Prob. Concludo. Si dicatur, quod auditio sit in membrana cochleæ subtenSA, optimè explicatur usus omnium partium autem constitutivum, ergo dicendum est, quod auditio sit in illa parte; Prob. A. Auriculae externæ usus est, ut colligat

gat forum , qui per concham subiectam ad tympani membranam appellit , cāmque exagitat tympanō sic agitatō ossicula , quæ illud sustentant , dilatant , ac constringunt , ea vero ad varios motus determinantur , ita , ut malleus fenestræ ovalis , quæ pariter per stapedis musculum aptè disponitur ad recipiendas illas vibrationes : hæc pellicula vibrationes acceptas transmiteit aëri in secundâ cavitate contento : aëris autem vibrationes , cùm ulteriâ propagari non possint , & communicari , excepto , quod non detur egressus ; laminam spiralem agitant , quæ inæqualem fortitur crassitudinem , definitque in acumen , ut possit omnes vibrationes recipere , & eas fibris nervosis , quibus tota coalescit , valeat communicare ; easque in ramum asusticuum trasmittendo animalm determinare ad auditionem ; atqui si operimè explicatur usus partium auris , ergo Prob. Concl. 3iò. Autis maximam proportionem habet , causa oculo , ergo sicut in oculi Retina sit visio , ita etiam in membrana cochlear subiensa sit auditio . Prob. A. iiii. In auro datur foramen , sicut in oculo datur foramen tunicæ ureæ . 2dò. In aure datur aës transmissivus specierum audibilem , sicut in oculo datur humor crystallinus transmissivus specierum visibilium . 3iò. post aërem sita est pellicula , in qua terminantur species soni , sicut post humorem crystallinum datur Rosina . ter-

termīnans species visibiles. 4tō. Hæc pellīcula habet maximam connexionem cum cērebro, ut ab eo recipiat spiritus animales necessarios ad auditionēm, sicut Retina habet connexionem cum cerebro ob eundem finem, ergo auris habet maximā proportionem cum oculo; ergo sicut visio in oculi Retina, itā etiam auditio sit in membrana cochleæ subtensa. Prob. Concl. 4tō. In illa parte auriſ sit auditio, ad quam ultimō deferuntur species ſoni, & quæ pars eſt verè vitalis; atqui ad membranam cochleæ subtensam ultimō deferuntur species ſoni: nihil enim allud eſt assignabile, ad quod ultra hanc pelliculam deferentur; & hæc pars eſt verè vitalis, quia continua corpori humano, ergo in hac pellicula, ſeu lamina spirali sit auditio.

## S II.

### *Solvit Objectiones.*

N.XIX. **O**bicitur: Si auditio fieret in membrana cochleæ subtensa, tunc ſemper in illa deberet fieri auditio, atqui non ſemper fit in membrana cochleæ subtensa; ergo. M. claret: quia quodlibet organum cuiuscunq; ſensationis debet eſſe ſtabile, aliàs hoc mutato nulla fieret ſenſatio. Min. verò probatur: Dantur multa animalia, v.g. aves,

aves, quæ carent simpliciter cochleâ, ergo non semper in membrana cochleæ subtensa fit auditio. 2. Si auditio fieret in membrana dicta, ideo fieret, quia species soni ultra hanc non propagantur, sed hoc dici non potest, ergo. Prob. min. Species soni propagantur usque ad cerebrum; ergo.

Resp. C. M. N. m. Ad Prob. Resp. imò. & dico: Nos hic loqui de auditione quæ sit in homine, & animalibus similem structuram habentibus, jam autem aves, muscæ, apes, & similia animalcula, item & pisces non habent similem structuram, quod saltè certum videtur esse quoad postremos, quamvis experientiâ constet eosdem audire, cum aliquando tintinnabuji sonitu ad escam convocentur; imò ut refert Plinius lib. 10. histor. natural. c. 70., in piscinis Cæsaris pisces nominatim vocatos advenisse; quin etiam Aristoteles lib. 4. histor. animal. c. 8. fusiùs probat auditum piscium, præsertim ex silentio piscatorum, dum volunt pisces non advertentes capere, & ex eorum clamore, dum volunt pisces terrere. Scribit quoque Plinius lib. 11. c. 37. manifestum etiam esse Delphinos audire, cum cantu mulcentur, & attoniti sonô capiantur. Dicendum item est de muscis, apibus, & similibus animalculis, quæ strepitu fugantur, præsertim apes, ut rustici nôrunt; pulsatione enim æris, sive ejus tannitu in unum coguntur, ut deinde alc-

alveari immittantur. Insuper Aristoteles lib. 9. histor. animal. c. 40. sub finem ait : Apes ab una ipsarum mane bombô geminô, aut triplici excitari, & ad laborem vocari, noctu verò repetito simili bombo silentium, & quicquam eisdem indici.

Resp. 2dò. D. A. dantur multa animalia, dissimilia homini, quæ carent simpliciter cochleâ, ita tamen, ut aliquid æquivalens membranæ cochleæ detur in illis C. A. dantur multa animalia similia homini quoad structuram auris, quæ carent simpliciter cochleâ, ut nec aliquid æquivalens detur N. A. D. Cons. ergo non semper fit in membrana cochleæ subtenfa, fit tamen in aliquo æquivalenti C. Cons. & non fit in aliquo æquivalenti N. Cons. Hoc ipso, quod animalia certa non habeant similem cum homine auri structuram, etiam non habent membranam cochleæ, habent tamen aliquid æquivalens, cum verè audiant. Neque omnino mirum est in iis non dari talem, qualis in homine est, structuram aurium, cum etiam non detur structura similis narium, quin etiam in interiore structura thoracis plurimum differant. Deinde retorqueri sic potest argumentum : Dantur pisces, qui carent tympani membranâ, ergo in tympani membrana non potest fieri auditio. Quidquid responderiat adversarii, idem dicemus pro membrana cochleæ subtenfa. Ad 2. D. M.

Si

Si auditio fieret in membrana cochleæ subtensa, ideo fieret, quia species soni non ultra propagantur tanquam ad partem constitutivam auris C. M. non constitutivam auris N. M. sic D. m. N. Cons. Ad Prob. D. A. Species soni propagantur usque ad cerebrum tanquam ad partem non constitutivam auris; & tanquam ad subjectum commune omnium specierum C. At tanquam ad partem constitutivam, & speciale organum ipsius auditus N. A. & Cons. Ex hoc argumento sequeretur, quod cerebrum esset instrumentum, & organum omnis sensationis, cum omnis sensus species deferantur ad cerebrum, vel potius ad phantasiam in cerebro residentem; atqui hoc dici nequit, ergo species soni non deferuntur ad cerebrum tanquam proprium, & speciale auditus organum, ergo sola membrana cochleæ subtensa est proprium auditus instrumentum.

## QUÆSTIO II.

### De Objecto Potentiarum auditivarum.

**A**CUSTICÆ, seu auditivæ potentiarum objectum proprium nemo sonum negare audet, cum nihil audiatur, nisi ipse sonus, nihilque percipiatur, nisi gratia foni. Controversia ramen non modicæ sub jacet id, in quo constat sonus. Alii enim admittunt in motu tremulo aeris,

aëcis, alii in qualitate absoluta. Unde ut clare intelligatur soni natura, ejus propagatio, medium, causa; partiemur praesentem quæstionem in quinque articulos. 1mus discutiet, an sonus consistat in motu tremulo aëris, aut in motu corpusculorum. 2dus An verò in qualitate absoluta Peripateticorum. 3tius. An sonus per suum esse reale, vel notionale concurrat ad auditionem. 4tus. Quodnam soni sit subiectum, & medium, quò defertur ad aures. 5tus demum resolvet quæpiam problemata ad praesentem materiam spectantia.

## ARTICULUS I.

An sonus consistat in motu tremulo aëris?

### S I.

*Prænotata.*

N. XX. PRÆN. 1mò Aristoteles lib. 2. de anima à textu 77. teste Mauro lib. 5. q. 25. sonum ità definivit: *Sonus est actus, qui producitur ex percussione corporis sonori, & per medium propagatus mouet potentiam auditivam ad auditionem.* Dicitur *actus sonori*, id est potestis producere sonum, si enim corpus non est sonorum, qualia sunt nix, pluma, lana &c. et si percutiatur, nullus inde oritur sonus, quando enim nix, vel pluma ex alto decidit,

C

nec

nec minimus percipitur sonus. Si ergo talis sonus à corpore sonoro productus propagetur usque ad aurem, causatur auditio. Et in hoc convenient omnes, ut seio; disconveniunt verò in hoc, an sonus primò productus à corpore sonoro propagetur usque ad aurem, vel potius ejus species, vel planè novus sonus immediatè, aut mediatè à primo proveniens. Quidam enim judicant ipsum sonum à corpore sonoro v. g. campana productum ad aurem deferri, & auditionem causare. Alii volunt, sonum propagari per species auditivas, eō modo, quo objectum coloratum ab oculo videtur per species visivas propagatas per medium. Alii demum asserunt, novum sonum in mediaq, qualemunque demum illud sit, sive aér, sive aqua, ignis, aut aliud corpus successivè produci, donec tandem ad proprium auditū organum deveniatur, atque etiam in isto aliquis sonus producatur, qui deinde ad auditionem concurrat. Quare non immeritò facta est soni divisio in primarium, & secundarium. *Primarius* nuncupatur, qui à corpore sonoro immediatè procedit. *Secundarius*, qui per medium ad aures usque propagatur.

N. XXI. Præn. 2dò. Tam sonus primarius, quam secundarius dividitur primò in acutum, & gravem. *Acutus* est, qui auditum citius, & fortius mouet. *Gravis* verò, qui debilius, & len-

lentiūs movet. Hi duo soni vocantur species externæ sonorum, quia inter illas multæ numerantur mediæ, quales sunt à Musicis vociatæ, Discantus, Altus, Tenor, Bassus; quā tamen soni in plures adhuc subdividi possunt juxta discrimen Discantistarum, Altistarum; &c. Secundò dividitur sonus in *suavem*, & in *aesperum*, aut *fridulum*, *intensum*, aut *magnum*, & *remissum*, aut *parvum*, qui termini per se clarent. Alius porro dicitur sonus *instantaneus*, qui editur v. g. à lapide in pavimentum decidente, in quo brevissimum, & quasi instantaneum sonum producit. Alius *continuus*, qui contingit, si v. g. campana diutiūs pulsatur. Alius demum sonus dicitur *directus*, qui à corpore sonoro directè producitur, alias *reflexus*, qui per reflexionem versus corpus sonorum revertitur, & vocatur passim Echo.

N. XXII. Præn. 3tið. Ad sonum causandum semper tria concurrunt, *corpus percutiens*, *corpus percussum*, & *medium*, quod facilè ab experientia probatur; sonus enim non oritur sine percussione, sive impetu, aut motu sonori, v. g. non sonat campana, nisi pulsata, & malleo percussa, in quo tria observare licet, nempe malleum, qui est corpus percutiens, campanam, quæ est corpus percussum, & aërem interceptum, qui est medium. Ad hæc observandum, quod corpora percussa ut plurimum sonora sint, quæ dura, & friabilia, id

est : quæ simul , ac percutiuntur , in se ipsum contremiscunt ; ex hoc enim tremulo eorum motu sonus resultat , atque ita corpora magis tremula melius sonant , quam non tremula , sic campana suspensa melius sonat , quam humi jacens , aut manu apprehensa ; similiter hasta ferrea liberè erecta , si percutiatur , clarius , & diutius sonat , quam muro inclinata , aut humi jacens ; ratio est : quia in primo situ magis , quam in secundo tremit ; id ipsum quoque patet in tympano , cymbalo , vitro &c. quæ si manu teneantur , sonus extemplo cessat . Quare vero dura esse debeant , & non mollia , ratio est : quia mollia facilè cedunt percutienti , neque tam fortiter elidunt aerem ; per quam clisionem sonus in aere formatur ; hinc lana , spongia , plumæ , aliaque hujusmodi corpora de se non sonant . Secundò : ut corpora percussa melius sonent , debent esse laevia , seu levigata : quia ex asperis ut potè habentibus foramina & cavitates , non bene extruditur aer . Item : ut majorem sonum edant , debent esse concava , ut est campana , testudo , quia in talibus plus aeris includitur ; & cum aer primò motus non possit statim exire , percudit alium aerem . & ita ex percussione aeris multiplicatur ictus , & simul sonus . Quare corpora habentia in sui compositione bene dispositum aerem sunt magis sonora , ut argentum , aes &c. magis autem terrestria , ut plumbum ,

bum, lapis, olla &c. sunt minùs sonora. Ob hanc rationem vasa ænea plena, percussa minùs sonant, quam vacua, quia sonus editus non potest in iis colligi, & reciprocari. Sufficit tamen aliquando ad generationem soni etiam audibilis, si aër subito frangatur absque omni corporum solidorum collisione, sic virga, vel funiculus ab auriga per aërem agitatus excitat sonum; ignis, quando ei aqua affunditur, crepitat, fluctus in fluctum impingens fremit, nubes ob incensas intus exhalationes ruptæ ingenti sonitu tonant.

N. XXIII. Præn. 4tò. Nunquam oritur sonus ex collisione corporum, quin simul motus, aut impetus in corpore percussus habeatur, ut nemo ambigit. Oritur præterea una cum sono quidam tremor in aëre circumfuso, ut rursus nemo in dubium vocat: ad explosionem enim tormenti usque adeò tremit aëris, ut domorum fenestras validissimè concutiat, quin etiam muros quatiat. Campanarum quoque sonus aërem multum commovet, & hinc exorta tempestate compulsantur ad nubes diffipandas; quin planè, ut fatetur Fabri tr. 3. Phys. lib. 2. propos. 68. juxta concentum instrumentorum musicorum vehementiorem intrà cubiculum paulò angustius de nocte fatum lumina, & fumi candelarum accensarum ad numeros musicos moventur. Jam hac veritate utpote certissima, supposita, controversia

sia inter Philosophos non modica exoritur ; an cum motu , vel impetu tremulo modifica-  
to identificetur sonus cumprimis secundarius ,  
qui s̄epe in spatium ingens ad complura mil-  
laria diffunditur . Pro identitate soni cum  
motu stant Neoterici plurimi , præcipue II ,  
qui omnem qualitatem absolutam negant .  
Contrarium tacentur Peripatetici tum antiqvio-  
res , tum recentiores . Quorum sententiam  
nos simus fecuturi , mox patebit .

## § II.

### *Resolvitur Quæstio.*

N. XXIV. **D**ico : Sonus non consistit in  
motu modificato , seu motu  
tremulo , & reciproco aëris , aut alterius cor-  
poris . Ità Avicenna lib . 6. natur . part . 2 c . 6 .  
Conimbricenses in 2. lib . Arlis de anima c . 8 .  
q . 2 . a . 1 . Joannes de Benedictis lib . 4 . c . 3 .  
**S**i . sub finem , & communiter Peripatetici  
omnes contra Recentiores , cumprimis Du-  
Hamel , Jacobum Rohault , Newtonum , ali-  
osque Neotericos . Prob . Concl . 1mō . Si so-  
nus consistet in motu , consistet in motu  
locali , sed in hoc consistere non potest ; ergo .  
Prob . min . Si sonus consistet in motu loca-  
li , nullus posset dari motus localis sine sono ,  
cùm supponatur motui locali esse identifica-  
tus

tus sonus , sed hoc est falsum : datur enim motus localis cœlorum , lanæ , plumæ , nivium , ubi tamen non habetur simul sonus , ergo.

Respondent ad hoc argumentum Adversarii , quod non in quocunque motu locali consistat sonus , sed in modificato v. g. tremulo aëris , aut alterius corporis . Sed contra est imò . Sive motus sit tremulus aëris , aut alterius corporis , sive non , non potest esse sonus , quia sonus est sensibile proprium , quod tantum convenienter potentiae auditivæ , motus vero , etiam tremulus , est sensibile commune , quod à pluribus sensibus percipitur , nempe tactu , visu , auditu , ergo hoc ipso sonus non potest consistere in motu tremulo , & modificato .

Prob. Concl: add Nec sonus primarius , nec secundarius consistit in motu modificato , ergo . Prob. Atis prima pars : sonus primarius dicitur , qui à corpore sonofo immediate procedit ; atqui hic non potest consistere in motu tremulo , ergo . Prob. min. Si sonus primarius consistet in hoc motu tremulo , tunc consue debet motus pervenire , quo usque auditur sonus , sed hoc rursum dici non potest , ergo . Prob. min. Si motus tremulus primus deberet pervenire consue , quo usque auditur sonus , tunc etiam aëris , qui est subiectum ejus , sonoro corpori v. g. campanæ proximus deberet propagari usque ad aures etiam valde distantes , sed hoc fieri est incredibile , nemo e-

Nim unquam credet, quod aër campanæ proximus à tremore ejusdem impellatur in tantum spatum, in quantum ipsius sonus auditur, & quidem ita impellatur, ut tantum spatum sphæricum, in quo auditur, aër ille impleat, cùm ad id implendum non videatur sufficere. Itē nemo credet quod aër à tormento v. g. exploso ad certum sonum modificatus ita exenti possit in totum spatum sphæricum plurimarum horarum, in quod toto auditur: & præprimis nemo credet, quod aër non tantum qualitercunque in tanta spacia propellatur, sed ita, ut constanter retineat eandem impetus, vel motus modificationem sub initium recepat, in quæcunque demum obstacula, sive motus contrarios, vel in quæcunque impedimenta turrium, murorum, sylvarum, montium &c. incurrat; ergo non potest eousquo motus ille tremulus pervenire, quo usque auditur sonus, ergo sonus primarius non consistit in motu tremulo, & reciproco aëris. Prob. jam 2da pars: Sonus secundarius dicitur, qui à primo procedens per medium usque ad aures propagatur; sed hic sonus non potest etiam consistere in motu tremulo, ergo. Prob. min. Si consistet in motu tremulo, motus hic tremulus similiter primo modificatus deberet pervenire usque ad aures, atqui non potest; ergo. Prob. min. Si motus hic tremulus incidat in montes, valles, lapides, parietes, vel etiam

etiam vitra, debet alia modificatio motus fieri, etiam si adhuc post omnia ista corpora idem prorsus sonus percipiatur; atqui hic motus tremulus similiter primo modificatus non potest pervenire usque ad aures, ergo etiam sonus secundarius non consistit in motu tremulo, & reciproco aëris. Conf. Campanula in vitro hermetice clauso, si ibidem sit aér, verum sonum edit, atqui hic sonus non potest esse motus tremulus, ergo. Prob. min. Si esset, tunc motus tremulus, qui foris est, & propagatur usque ad aurem, deberet esse similis usquequaque illi, qui intus est, quia si non esset usquequaque similis, tunc aliis sonus, quam sit, audiretur; atqui hoc est imperceptibile: quis enim sibi persuadeat, quod motus ille, qui in vitro est, prorsus similem motum producat in aëre, qui extra vitrum est; ergo.

Prob. Concl. 3tiō. Si sonus esset motus tremulus, ac reciprocus aëris, tunc plures soni, uti possunt convenire in eadem particula aëris, ita etiam diversissimæ modificationes, tremores aëris, ac vibrationes possent recipi in eadem parte aëris, quod contingere cum potest, quando duo tubicines, aut cantores è diametro sibi oppositi inflant, aut cantant: atqui non possunt in eadem particula aëris tollere diversæ modificationes, tremores, ac vibrationes recipi; ergo. Prob. min. Si possent,

recipi , tum unus tremulus motus identifica-  
tus sono turbaret alterum tremulum motum  
pariter identificatum sono, quod tamen fieri  
non videtur , cum omnes soni distinguantur  
ab audientibus; ergo sonus non est motus tre-  
mulus , ac reciprocus aëris.

Respondent ad hoc argumentum Adver-  
sarii: Motum , aut impetum impressum cor-  
pusculis sonoris esse celerrimum, ac vehemen-  
tissimum , qui non permittat locum effugio ,  
nec sinat turbari corpuscula. Sed contra  
est : etiamsi motus sit celerrimus , quia ta-  
men plures motus in eadem particula aëris  
convenirent , tunc soni deberent perturbari ,  
quæ perturbatio sonorum cum non observe-  
tur , dicendum videtur , motum tales tremu-  
lum , & reciprocum aëris non esse sonum.

Respondent secundò : quando plures mo-  
tus tremuli identificati sono conveniunt in eodem  
aëre , quod se ordinatè intersecant in  
hunc modum , quo circuli in aqua per inter-  
jectionem plurium lapillorum causati ordina-  
tè se intersecant , quin observetur perturba-  
tio circulorum ; atqui hoc modo evitatur tum  
perturbatio motuum , tum sonorum ; ergo .

Sed contra est: etiamsi unus , & alter se  
fortè sonus non perturbet , deberent tamen  
se perturbare , quando plurimi motus & so-  
ni in eodem aëre convenirent ; sicut si plurimi  
lapilli simul confusè in aquam commotam in-

jiciantur, inordinata circulorum sit confusio. Deinde licet verum sit, quod circuli à paucis lapillis in aquam injectis causati ordinatè fiant in aqua quieta, v. g. in stagno placido, non tamen sunt ità ordinatè in fluminibus, neque in mari agitato, sed in his sit mera confusio; ergo etiam quando convenirent in eodem aëre plures soni, qui essent motus diversi tremuli, & reciproci, deberet fieri mera confusio sonorum & motuum: quia aëris non habet se instar stagni placidi, & quieti, sed potius maris inquieti etiam tamen, quando venti non flant, quod facile probari potest ab experientia: Conscendat enim quis præaltum montem, ubi sole splendente ventus nullus flat, infra verò in planicie sit aëris densior velut nebula, videbit illam planitatem quasi mari inquieto submersam, unde fluctus aërii tum ascendunt, tum descendunt, inque se invicem concurrunt.

Ex quo liquet, si plures soni modificati convenirent in eodem aere inquieto, quod se perturbarent, & ita non possent ordinatè propagari. Cont. Sonus ordinatissimè propagatur sursum, deorsum, sinistrorsum, verbò: in totam sphæram; atqui si consisteret in motu modificato tremulo, & reciproco, non posset ordinatè propagari in totam sphæram, ergo. M. non controvertitur, quia ex omni parte percipitur sonus. Min. prob. Si sonus est

est motus modificatus, tunc non potest propagari sursum, quia si posset propagari, tunc motus aëris inferioris deberet ordinatè producere impulsum aëris superioris, & hic rursum ulterius; atqui hoc fieri non potest, ergo. Prob. min. Aër superior propter gravitatem suam semper premit inferiorem, adeoque impediret productionem motū, & propagationem impulsū, ergo. Prob. A. à pari: si pisces in mediis undis natet, nullæ excitantur undulationes, itēm: si urinator in medio mari constitutus projiceret ad ejus fundum lapidem, nullæ pariter exorirentur undulationes, multò minus propagarentur, & hoc quidem ideo, quia aqua superior propter gravitatem impedit earum productionem, & multò magis ordinatam propagationem; ergo etiam, si sonus ederetur v. g. à campana, qui esset motus tremulus aëris, non posset supra se in aëre superiore producere similem sibi motum, & cundem ordinatè propagare, quia aër superior premit inferiorem, impedīque tam ejus productionem, quam ordinatam propagationem. Nec juvat dicere: aërem esse elasticum, non verò aquam; nam elasticitas aëris non tollit gravitatem, quin potius elasticitas aëris superioris premendo juvat impedire impetum, & motum modificatum aëris inferioris. Demum aër inferior non potest sua elasticitate prævalere gravitati, & elasticitati superioris; ergo.

Prob.

Prob. Concl. 4tò. Si sonus esset motus modificatus, tunc eò deberet pervenire motus, ubi auditur sonus, sed hoc est manifestè falso; ergo. Prob. min. Exortô vento rapitur motus modificatus unà cum aëre etiam ex illo loco, ubi sonus tamen auditur, ergo non eò pervenit motus modificatus aëris, ubi auditur sonus; ergo sonus simpliciter non consistit in motu modificato aëris.

### § III.

#### *Solvuntur Objectiones.*

**N.XXV.** **O**bjic. 1. Aristoteles 2. de anima c. 4. tex. 83. de aëre ait: *Hujus motus sonus est*, ergo juxta Philosophum, quem alias sequuntur Peripatetici, consistit in motu, non alio, quam tremulo. 2. Nunquam habetur sonus sine motu, ergo sonus consistit in motu. 3. Ens fluxum, & in successione positum, cujus partes simul esse non possunt vel est tempus, vel motus; atqui sonus est ens fluxum, & in successione positum, ergo est vel tempus, vel motus; sed tempus non est, ut ipsi Peripatetici fatentur, ergo saltē est motus.

Resp. imd. Aristotelem non semper rigorosè, & strictè locutum fuisse, quia pro effectu subinde accepit causam, quod patet ex eodem capite, ubi ait, quod ictus sic sonus, &

& nemo tamen unquam admittet idem esse identicè sonum, sed idem potius causam, sonum effectum; ergo etiam si dixerit Philosophus motum esse sonum, non tamen intelligi debet motum esse identicè sonum, sed motum causam, aut conditionem, sonum verò effectum motū. Ex quo

Resp. 2dō expl. textum Arlis, qui de aëre ait: Hujus motus sonus est in sensu causali C. in sensu formalis N. Sens. Arlis, & Cons. Explicatio hæc est conformis menti Conimbricensium, qui ajunt: Aristoteles verò, cum sonum motionem esse dixit, loquebatur in sensu non formam, sed causam predicante, hoc est: non in sensu formalis, sed causali, quasi diceret sonum ex motu resultare.

Ad 2. Resp: 1mō. indirectè: Nunquam habetur sonus sine aëre, ergo aëris est identicè sonus. Nunquam habetur effectus sine causa, ergo causa est identicè effectus. Resp. 2dō. directè: D. A. Nunquam habetur sonus sine motu tanquam effectus sine causa, vel conditione C. A. Nunquam habetur sonus sine motu, cum quo identificetur N. A. & Cons. Ex hoc, quod sonus nunquam haberi possit sine motu aliquo, non probatur sonum esse identicè motum, sed solum id arguitur, quod motus vel sit causa soni, vel sit conditio necessariò requisita in ordine ad sonum producendum; nam etiam sonus non potest haberi

sine corpore sonoro, & tamen sonus non est identice ipsum corpus sonorum, alias sicut sonus propagatur usque ad aures in ordine ad causandam auditionem, etiam ipsum corpus sonans v. g. campana propagari deberet usque ad aures, quod ridiculum est.

Ad 3. D. M. Ens fluxum in se, per se, & intrinsecè, est vel tempus, vel motus C. M. ens fluxum per accidens, & ratione alterius, cui adjungitur N. M. D. min. sed sonus est ens fluxum per accidens, & ratione alterius, nempe ratione motū, quem sequitur, vel à quo generatur C. min. est ens fluxum per se intrinsecè, & ratione sui N. min. & Conf.

Si dicas: Si sonus non est ens fluxum per se, & intrinsecè, tunc tam sonus, quam ejus species intrà momentum deberent propagari usque ad aures, sicut species colorum intrà momentum ad oculum perveniunt; sed hoc dici nequit, ergo.

Resp. D. M. Si sonus non est ens fluxum per se, & intrinsecè, neque etiam dependet à motu successivo, tunc tam sonus, quam ejus species intrà momentum deberent propagari usque ad aures C. M. si dependet à motu N. M. sic D. min. N. Conf. Exinde facilis eruitur disparitas, quare species colorum visibiles intrà momentum perveniant ad oculum, non verò species audibles ad aurem: quia scilicet species visibiles colorum non dependent ab

ab ullo motu; licet enim objectum sit valde distans, si tamen sit illuminatum sufficienter, illico videtur, quin tamen ullus motus aëris observetur. At verò sonus, ejusque species semper sunt connexæ cum aliquo motu aëris, quod experientiâ compertum habet. Præterea tam sonus, quam species ejus sunt magis materiales, quam species colorum, ergo mirum non est, quod tam citò non perveniant ad aures, quam citò species visibles ad oculum. Tota denique paritas dissolvi potest unicâ experientiâ ab exploso tormento desumptâ: hoc, ac primùm solvitur, illico flamma videtur à longè, quin tamen immediatè etiam audiatur sonus; nam fulgur tormenti bellici videtur tempore sat notabili cītius, nempe 7. min. secundis, antequam audiatur boatus ex distantia 1200. hexapedarum; quod alteri adscribi non potest, ac, quod species visibles flammæ non egeant motu aëris, indiget verò sonus, ejusque species ad audiendum.

Si rursus opponas: Hoc ipso, quod sonus distingueretur à motu aëris, deberet instantaneè deferri ad aures, atqui tamen non defertur, ergo sonus non distinguitur à motu aëris. Prob. Seq. Mris. hoc ipso, quod sonus distingueretur à motu aëris, non haberet contrarium, sed si non haberet contrarium, instantaneè deferretur ad aures, ergo, Prob. min,

min. Ideo lumen defertur instantaneè ad oculum, quia nullum habet contrarium, ergo aequaliter. Resp. N. Seq. Mris ad Prob. C. M. N. m. ad ulteriorem Prob. compl: caus. ideo lumen defertur instantaneè ad oculum, quia nullum habet contrarium, neque aliunde à motu aeris dependet. C. purè ideo, N. causalem A. & C. Exinde liquet disp: quia sonus semper coniungens est alicui motui aeris, ergo sicut motus aeris non instantaneè propagatur, ita neque sonus. Quod si sonus dari posset sine omni motu aeris, forte idem dici posset de ejus propagatione, quod de lumine assertur.

N. XXVI. Objic. ad docum recentiori quodam: Ubi datur motus tremulus, & reciprocus aeris, ibi datur sonus, & ubi talis motus abest, etiam sonus abest, ergo. Prob. C. In illo res quælibet consistit, quo positio habetur, & quo ablatio, & non positio non habetur, atqui posito motu tremulo, & reciproco aeris habetur sonus, & hoc non posito non habetur, ergo. Prob. m. ab experienciis: Posito motu tremulo instrumentorum musicorum habetur sonus, & illo non posito non habetur sonus. ad. Si margines scyphi vitrei aquâ semipleni digitò celerius motu premantur, editur & sonus, & tremulus simul motus, & aquæ subsultatio observatur, ergo. 3tiò. solutò tormentò bellico propè aquam stagnantem per motum tremulum crispatur superficies aquæ, & flammæ subsultant

tant candelarum personantibus musicis instrumentis, ergo. 4to. Tremulus pilei, & campanæ motus manu sentitur, dum pileus proximiùs campanæ pulsatæ applicatur; item: si vel levissime incus, aut tympanum bellicum percutteratur, milii grana illi imposita subsultant, quo artificio etiam subinde hostium cuniculi deteguntur; ergo. Conf. 1mo. Si sonus non esset motus tremulus, & reciprocus aeris, non posset assignari ratio, cur ad explosionem tormentorum bellicorum auris laedatur tympanum, adeo, ut etiam sanguis inde profluat, aedes motu tremulo succutiantur, & persæpe orbiculi fenestrarum confringantur; ergo. Conf. 2dō. Si chorda v. g. cytharae digitò comprimatur, unicò cessat sonus, vel saltèm languescit, non ex alia ratione, quam quod sustinatur motus tremulus, ergo. Conf. 3dō. Si sonus non esset motus tremulus, non posset dici, quomodo à diversa tensione ejusdem chordæ plures specie soni provenire possint, qui tamen optimè explicantur per diversum tremulum motum, ergo sonus est motus tremulus aeris.

Resp. D. Imam part. A. ubi datur motus tremulus, ibi datur sonus tanquam effectus dependens à motu tanquam causa trans. ibi datur sonus identificatus motui N. A. Imam part. D. adam. & ubi talis motus abest, etiam sonus abest ex hac ratione, quod effectus nunquam ha-

## X 51 X

Haberi possit sine sua causa C. ex alia ratione N. eadem part. A. & C. Dixi : transfat : quia certe datur motus tremulus in manu tremente, & tamen nullus percipitur sonus, ergo neque semper motus tremulus est causa soni. Ad Prob. D. M. in illo res qualibet consistit, quo posito habetur formaliter, & quo ablato non habetur formaliter C. M. quo posito habetur causaliter N. M. D. m. atqui posito motu tremulo habetur sonus causaliter, trans. m. formaliter N. m. & C. Posita approximatione ignis ad materiam combustibilem habetur etiam ustio causaliter, & tamen approximatio non est formaliter ustio, ergo à pari. Deinde ventis posterioribus transvehitur aliò motus tremulus, & tamen sonus adhuc auditur in illo loco, ad quem non pervenit hic motus, ergo nec perfectè dici potest, quod posito motu tremulo aeris habetur causaliter sonus, & hinc dixi transfat.

Ad experientiam r̄imam Resp. D. A. posito motu tremulo instrumentorum habetur sonus tanquam positâ causâ vel conditione requisita ad sonum C. A. habetur formaliter, & quidem identificatus motui N. A. & C. Verum est, si non accedat motus tremulus, quo moveatur instrumentum musicum, nullum ediri sonum, sed ex defectu vel causâ, vel conditionis requisitæ ad sonum, sicut ablata actione productiva, non habetur effectus, propterea

\* X 52 X \*

tamen actio productiva non est effectus, sed tantum id, quod se tenet ex parte causæ efficientis; ita pariter motus vel est tantum conditionis, vel id, quod se tenet ex parte causæ efficientis, solum tanquam effectum à motu realiter distinctum. Ad reliquias experientias Resp. eodem modo: quia pariter illi tremuli motus non sunt identicè sonus. Ad Conf. 1. mām N. A. & rationem assigno: quia aër per explosionem tormenti bellici vehementissime, & copiosus impellitur ad membranam tympani, quæ quia tenuis, facile rumpitur, aperiuntur quoque venaule auris pet hunc impulsu[m] aëris vehementem, & ex ita ruptis, & perforatis profluit sanguis. Eadem ratio est, cur ædes tremant, fenestrarum vitra confringantur. Ad Conf. 2. C. experientiam, sed nego, quod hæc tantum sit ratio, cur esset sonus, vel laogueat, quia sustinet motus tremulus; sed potissimum ex eo, quia cythara compressa, & vitrum manu apprehensum non est ita dispositum ad causandum sonum; & licet praedicta ratio sola vera esset, tamen adhuc non sequeretur, quod sonus esset motus tremulus, sed ad summum dici posset motum esse causam soni, aut conditionem requisitam ad producendum sonum. Ad Conf. 3. dico idem argumentum solvendum esse adversariis, quæro enim ex illis: an dentur soni specie distincti, qui sunt identificati motibus tremulis? si ita; ergo motus tremuli specie distincti possunt provenire ab

eadem chorda extensa, quomodo id probabunt? si vero motus tremuli non sunt specie distincti, ergo a tensione ejusdem chordae non possunt provenire specie distincti soni, quod tamen afferunt. Resp. 2dū. N. A. & dico: vel a tensione ejusdem chordae prodibit sonus gravis, vel acutus, aut uterque; si uterque; ergo distinguuntur specie, ut clarum est; vel soni specie distincti a tensione ejusdem chordae provenientes habent specie distinctum motum tremulum, ergo etiam sonus erit specie distinctus, quia ubi causa specie distincta, ibi etiam efficiens specie distinctus.

N. XXVII. Objic. 3tio. Si sonus non consistet in motu tremulo (qui aliter appellatur motus extensionis & compressionis, vel contrarii sonis, aut orientis & occidens, vibrationis, reciprocationis) ideo non consistet, quia hoc admissum non debite posset explicari soni propagationem, sed hoc dicere nequit, ergo. Prob. m. Proportionatio soni hoc serè modo contingit usi corpus sonorum percutiatur v.g. campana mallo, impetrinitus illi impetus, ratione cuius particulae ejus comprimitur, sed propter hæc particulae compressæ sua elasticitate se denudo extendunt, & reducunt ad pristinum statum; hæc extensio alias particulas præprimis aëris circumsteti concretit, quæ se iterum suo elaterio extendunt, & particulis subsequentibus impatum similes modificatum impinguunt, donec tandem aëre ulli

tinus simili impetu affectus, & modificatus per-  
 veniat ad terminum, vel ad aurem, in qua su-  
 milis rursus impressio contingit, nempe in aëre  
 ianato, quam tandem communicat membrana  
 cochlearis subtensæ, ubi anima ad sensationem  
 auditionis determinatur. Atqui hoc modo op-  
 timè explicatur propagatio soni; ergo. q. Si  
 sonus non consisteret in motu tremulo, etiam  
 hæc ratio esset, quod sonus utpate motus non  
 posset ordinatè propagari sursum, quia aër su-  
 perior impediret sua gravitate & productionem  
 ulteriorem impulsus, & ordinatam propagatio-  
 nem motus tremuli; atqui hæc ratio non ob-  
 stat, ergo. Prob. m. Etiam si aëris superior mul-  
 tò gravior sit aëre inferiore, ubi sit primus so-  
 nus, tamen impulsus est tam potens, ut aëris su-  
 perior impedire nequeat motum, & propaga-  
 tionem ejus, nisi sensim, & sensim deficiat im-  
 pulsus, ergo. Prob. A. à pari: Etiam si aëris su-  
 perior multò gravior sit, quam lapillus, si ta-  
 men huic imprimatur impetus potens, ascendit  
 sursum irregulariter, ergo à pari. Resp. C. M.  
 N. m. ad Prob. dico: quod motus talis particu-  
 larum fieri quidem posset ad spatiū non long-  
 um, non posset tamen idem similiter modifi-  
 catus propagari in longum, ad unum v. g. millia-  
 re, vel plura, præcipue si hic motus habeat di-  
 versa obstacula, montes, ædes, &c. Si enim  
 impingat in tales obices, motus necessariò tur-  
 bari debet. Deinde, etiam si transmitteretur  
     quod

quod idem motus impressus vicinis corpusculis  
aëris possit propagari usque ad aures, quin im-  
mutetur, quod tamen falsum esse diximus  
propter obstacula intervenientia; adhuc non  
probaretur sonus esse motus tremulus: quia  
sonus utpote sensibile proprium auditus neces-  
sariò distingui debet à sensibili communi, qua-  
le est motus; atqui non distingueretur, ut per  
se patet; ergo. Ad 2. C. M. N. m. ad Prob. N.  
A. ad ulteriorem Prob. N. quod lapillus sit mi-  
noris gravitatis, quam aëris: lapillus enim est  
corpus densum, terceum, aëris est corpus rarum;  
atqui corpus densum est gravius, quam rarum;  
ergo. Deinde lapillus in altum projectus suc-  
cessivè pellit loco partem aëris post alteram,  
consequenter facit divisionem, & scissionem aë-  
ris; ergo aëris non potest impedire ascensum sus-  
sum, donec tandem impulsus deficiat. At verò  
motus primus aëris tremulus non pellit succe-  
dente aërem loco, sed tantum illi imprimeret  
similem sibi motum, ergo cum aëris superior re-  
spice esset gravior, quia copiosior, impediret  
omnino & motum, & impulsum ulteriorem, si-  
icut aqua superior, si pilcis in medio aquæ natet,  
impedit undulationes sursum. Si dicas: Ex hoc  
sequeretur, quod sonus, qui juxta Peripateti-  
cos est qualitas, etiam non posset propagari sur-  
sum, sed hoc illi negant, ergo. Prob. Seq. M.  
Ideo sonus identificatus motui non posset pro-  
pagari sursum, quia aëris superior esset gravio-

aëre inferiore , & sic impeditur & impressionem ,  
 & propagationem motū , atqui etiam si sonus  
 esset qualitas , pariter aër superior impeditur  
 propagationem qualitatis , aut saltēm speciem  
 soni ; ergo . Prob. m: Qualitas illa vel in se ,  
 vel secundūm speciem nunquam potest propa-  
 gari , nisi conjuncta motui , ergo . Resp. N. Seq.  
 Miris ad Prob. C. M. N. m. ad ult. Prob. D. A.  
 qualitas illa vel in se , vel secundūm speciem  
 nunquam potest propagari , nisi conjuncta mo-  
 tui qualicunque C. A. motui tali tremulo N. A.  
 & C. Verum est , quod propagatio soni semper  
 sit conjuncta alicui motui , non tamen semper  
 tremulo . sed illi , quo aliunde aër continuo  
 moverur ex natura sua , quem aër superior ut  
 non impedit , ita neque sonum , & ejus propa-  
 gationem impedit . Aliter discurrendum est de  
 motu tremulo aëris , qui semper habetur per  
 impulsū aëris inferioris in vicinum , & etiam  
 Superiorē ; & hunc superior omnino impedit  
 ob gravitatem suam majorem , ut argumentum  
 probat . Si surgeas : Sonus etiam secundarius de-  
 bet haberi per motum tremulum , ergo sonus si-  
 ve sit qualitas , sive quidecumque aliud , non po-  
 test propagari sursum . Prob. A. Aër etiam su-  
 perior debet disponi pro sono recipiendo se-  
 cundo , atqui hæc dispositio erit saltēm motus  
 tremulus , ergo . Resp. N. A. ad Prob. D. M.  
 debet disponi negative , ut nempe non habeat  
 aliquid in se , quod impedit productionem  
 so-

soni C. M. positivè, per accidens aliquodd patitum præter sonum aëri superadditum. N. M. sonus est qualitas non diu manens, sed citissime desinens, quæ non requirit positivas dispositiones in aëre, modo obstatum aliud non adfic: sicut lumen non requirit dispositiones positivas, in aëre, ut produci, & propagari possit. Si insites: quia lumen primum non requirit motum, neque secundum, tertium &c. requirit motum, & ideo potest quocunque, etiam sursum propagari; ergo è contrario cùm sonus primarius requirat motum tremulum, etiam secundus, tertius &c. requirit motum tremulum, & ideo non poterit propagari sursum. Resp. C. A. N. C. disparitas est: quia lumen primum non habetur à collisione corporum, ergo nec secundum. At verò etiamsi sonus primarius requirat motum, cùm nunquam habeatur sine collisione corporum, tamen non sequitur etiam secundum, & tertium exigere motum similem primo, quod satis manifestum est ab experientiâ: quando enim sonus aliò per ventum transfertur, nullus ibi observatur tremulus motus aëris ubi sonus auditur; ergo.

## ARTICULUS II.

An sonus consistat in qualitate?

§ Imus Resolvitur Questio.

N. XXVIII. **D**ico: Sonus est qualitas absoluta, sensibilis, & percipi-  
ti.

abilitas à potentia auditiva, orta ex percussione corporis sonori. Ita plurimi Peripatetici citiori art. contra Cartistas, Epicureus, & Neopericos. Prob. Concl. 1mò. declaratione singularum verborum: dicitur primò sonus qualitas, quod obtinet rationem generis: in hoc animi convenit sonus cum objectis aliorum sensuum externorum, quæ necesse est esse qualitates, & quidem tertiae speciei, quæ passibilis qualitas audit. Dicitur 2dò, *absoluta*, ut contra distinctum est accidens à modalibus. Dicitur 3rò *sensibilis*, & *perceptibilis* à potentia auditiva, quod ponitur permodum differentiæ: quia sonus ab auditu percipitur, estque proprium, & adæquatum objectum potentiaz auditivæ specificativum. Dicitur 4tò: *orta ex percussione*, sive collisione: ut causa soni productiva innoscatur, & conditio ad sonum causandum necessaria manifestetur. Dicitur 5tò. *corporis sonori*: quia non quælibet corpora sufficiunt ad productionem soni debitè, & perfectè audibilis; ergo. Prob. Concl. 2dò argumento negativo: Sonus non est motus tremulus, & reciprocus aëris, vel alterius corporis, ut dictum est; neque etiam est substantia: quod enim alterius substantialiter completo inhæret, non est substantia; atqui sonus inhæret alteri substantialiter completo: vel enim inhæret corpori sonanti, vel aéri, vel utriusque simul, quod infra videbimus, ergo non est substantia. Denique etiam

etiam sonus non est quantitas, quia ratione sui non extenditur, sicut lumen ratione sui non extenditur; ergo est qualitas absoluta &c. Pr. Concl: 3<sup>ti</sup>. Admissa qualitate soni potest bene explicari, quomodo auris diversos sonos, graves, acutos, & etiam acutissimos simul, & semel recipere possit, ubi è contra, si admittatur sonus consistere in motu tremulo aëris, id explicari non potest, cùm imperceptibile sit, quomodo idem auris tympanum, deinde organum tot diversos tremores distincte, & sine perturbatione recipere queat? ergo sonus est qualitas absoluta. Prob. A. Admissa qualitate soni admittitur qualitas penetrabilis, atqui possunt plures qualitates penetrare, & produci in aure, ergo possunt etiam plures soni, iisque diversi simul & semel recipi in aure; ergo. Conf. Sonus propagatur etiam trans parietes in cubiculum clausum, sed quod sic propagatur, est qualitas, & quidem penetrabilis, ergo sonus est qualitas penetrabilis. Prob. Concl. 4<sup>to</sup>. In illo consistit sonus, cui convenire possunt proprietates soni, atqui si dicatur, quod sonus sit qualitas, convenire ei possunt proprietates soni; & si dicatur esse motus, non possunt eidem convenire; ergo. M, est certa etiam adversariis. Prob. m. Soni proprietates sunt gravem, & acutum esse, atqui hæ convenient qualitati, non verò motui: motus enim est vel tardus, vel levox, non verò gravis, & acutus; ergo.

N. XXIX. Ex his infero : quod motus corporum sonantium non sit causa immediata soni , sed solum conditio requisita. Ratio est : quia motus per se , & immediatè tendit ad ubi , non verò ad sonum. Et prob. res à pari : licet sèpe ad motum corporum sequatur calor , tamen motus non dicitur per se causa immediata caloris , sed solum conditio , quâ positâ mota corpora virtutem calefacientiam exerant ; ergo etiam licet motum corporum sonantium sequatur sonus , adhuc non potest dici , quod motus illorum sit causa immediata soni , sed tantùm est conditio , quâ positâ corpora mota sonantia vim soni productivam exerant. Nec juvat dicere : quod celeritas motus intendat sonum ; ergo est causa. Resp. enim , quod intendat sonum hoc sensu , quod possita celeritate motus corpora sonantia magis possint exercere suam vim sonativam , sicut si motus intendatur , etiam corpora calefactiva magis exercere possunt vim calefactivam ; est ergo motus tantum conditio , non causa soni.

### *S. II. Solvuntur argumenta Adversariorum.*

N. XXX. Objec. 1<sup>o</sup>. Si sonus est qualitas , non potest reddi ratio primis cur sonorum v. g. campana non edat sonum inter recipientem evacuatam. 2<sup>o</sup>. Cur campana timorem edat sonum ; si sit obiecta nivibus : 3<sup>o</sup>. Cur peristomata in aulis , aut templis affixa

\* \* 61 \* \*

gem Concionatoris debilitent. 4. Cur sonus  
flante vento impeditatur, ubi tamē hæc opinio  
explicari possunt in sententia statuente sonum  
in motu consistere, ergo sonus non est qualitas,  
Resp. N. A. ad 1. dico: Si verum est, quod Ari-  
stoteles, & Conimbricenses volunt lib. 2, de a-  
nimac. 8. q. 1. a. 3. propos. 3. sonum non sequi  
immediate collisionem corporum, sed fractio-  
nem aëris (aut aquæ, in hac enim etiam produ-  
citur) intermedii, cum juxta illos aëris inter duos  
corpora attritus primum frangatur, deinde fra-  
gatus sonet, clarum est, cur campana non edat so-  
num intrâ recipientem evacuatam, quia nimili-  
sum aëris deest, qui frangi deberet. Dicit qui-  
dem Schottus part. 2. lib. 1. Mag. Phonol. con-  
trarium experientiâ constare; si enim, ait ille,  
corpus percutiens admoveatur campanula, aut  
Scypho vitreo tam lente, & leviter, ut aëris pau-  
latum divisus cedat, & nulla, aut vix ulla ratio-  
ne atteratur ex collisione, nullus sequitur so-  
nus. Item: si nonnulla corpora vehementer  
complodantur, & aërem interceptum fortiter  
atterant, minorem sonum edere (ut in duobus  
lignis complosis patet) quam illa, quæ levissime  
se invicem tangunt. Sed Resp. primum vix cre-  
dibile esse: si enim vel modicum campanula,  
vel scyphus vitreus atteratur, sonum nihil  
minus, licet debilem, edunt, ergo etiam hic  
frangitur aliquantum aëris. Ad 2. dico: quod  
alia ligna ideo videantur minorem sonum ede-  
re

te, quia non sunt adeo disposita, cum forte  
 minus levigata, nec sat is concava; propterea  
 tamen adhuc aer intermedius frangitur. Unde  
 nobis sententia Artis, & Conim. preplaceat. Cae-  
 terum idem argumentum adversariis restat sol-  
 vendum, multoque magis illos quatit. Quæ-  
 ro enim ex illis, cur sonorum v. g. campana non  
 edat sonum intrare recipientem evacuatam, licet  
 campana concurtiatur, quæ concussio certè fici-  
 ri non potest sine motu, cui identificant sonum?  
 Quid respondebunt? puto, haerebunt, & una  
 cum suo motu quiescent attoniti. Ad 2. di-  
 co: Nives in campanam decidua impedit motu  
 corpusculorum sive campanæ, sive aeris cir-  
 cumstantis; impedito autem motu, cum semper  
 sit necessaria conditio ad sonum causandum;  
 impeditur & productio ipsius soni primarii for-  
 toris. Ad 3. Rationem ajo, quod per peristre-  
 mata impediat motus aeris, qui ad propaga-  
 tionem soni requiritur, nam aer difficilius se ex-  
 volvit ex villis peristromatum, quos ingressus  
 est, & permagna quantitas aeris in ipsis haeret.  
 Inde facilè colligitur, cur vox Concionatoris  
 debilitetur, item: cur minus audiatur in Eccle-  
 sia, ubi magna populi est frequentia, quia scilicet  
 vox nec a duriore pavimento, nec a parieti-  
 bus reflectitur, & quia ab anhelitu illius fre-  
 quentiae aer circumstans fit crassior, minusque  
 aptus ad vocem reddendam Concionatoris.  
 Ad 4. dico: per ventum flantem impediti mo-  
 tum

※ X 63 X ※

rum aeris directum, qui ad propagationem soni  
in hac circumstantia necessarius est.

N. XXXI. Objec. 2. Si sonus est qualitas,  
non potest explicari consonantia, & dissonan-  
tia sonorum, ergo. Prob. A. Si stante quali-  
tate soni posset explicari consonantia, & disso-  
nantia sonorum, tunc qualitates horum sonor-  
um aut deberent sibi coordinari, aut non de-  
berent sibi esse contrarie; atqui utrumque est  
manifeste fallum; ergo. 2. Si sonus est quali-  
tas, non potest dari ratio, cur pluribus simul  
etiam tantibus aliquando audiatur quasi unus so-  
nus, sed fortior, & intensior; aliquando vero  
audiuntur plures soni, ita tamen, ut unus pro-  
alis distinguitur; ergo sonus non est qualitas.  
Resp. N. A. Si consonantia, & dissonantia sono-  
rum potest explicari, si dicatur sonum consistere  
in motu, multo magis poterit explicari, si  
admittatur esse qualitas: motus enim pugnat  
cum motu contrario, non qualitas ita cum qua-  
litate. Ad Prob. D. 1. mam. part. M. tunc quali-  
tates sonorum deberent sibi coordinari hoc  
sensu, quod simul posse auditui vel delectatio-  
ni, vel molestiam afferant C. hoc sensu, quod  
se mutuo exigant, consequenter sibi sint pro-  
priæ subordinatae N. 1. mam. par. M. D. 2. Non  
deberent sibi esse contrarie, ut se invicem de-  
struant C. ut non bene concordent, vel audi-  
tui molestiam afferant N. 2. part. M. sic D. m.  
N. C. Qualitates sonorum nullo modo se exi-  
guunt

gunt, in quo enim hæc exigentia fundaretur? Neque etiam se destruunt, aliae dissonantia, & consonantia nunquam audiri posset, quod est contra experientiam. Unde si plures soni subiace convenient, solent in auditu organo impressionem delectabilem facere, alii è conformato moleste afficiunt autem. Et videntur se qualitates soni sic habere, sicut sapores, ut enim hi nec sc̄ exigunt, nec destruunt, ita nec illæ. Item: ati sapores immixti cibum sapidum reddunt, alii insipidum, ita etiam qualitates soni aliquæ suaviter, & delectabiliter, aliae moleste afficiunt auditum. Ad 2. dico: Si pluribus clamantibus unus tantum sonus, & quidem fortis, exaudiatur, quod qualitates sonorum in iisdem particulis aëris converniant, quæc deinde per species suas usque ad alias propagantur, & siquidammodo unus sonus commixtus, & intensus, percipiatur, non aliter, ac subiendo plures sapores in unum mixtum coēunt. Si verò pluribus clamantibus unus sonus præ aliis distinctius percipiatur, ratio videtur, quod fortè vox potentior non in eadem parte aëris cum aliis convenerit, aut, si convenit, fortior fuerit, & ideo distinctius percepta, sicut rursum patet in saporibus, ubi potentior specialiter distinguitur. Neque hoc mirum debet videri Adversariis, qui plenis buccis clamant contra qualitatem Peripareticam soni: idem enim dicere, & facti coguntur in sua sententia, si argumentum in

## X 65 X

**In illos retorqueatur ; nisi forte vano , & molesto clamore , non solida ratione vim argumenti columbare contendant.**

N. XXXII. Objicit. 3tiō. Si sonus est qualitas , non potest assignari causa soni primarii , minus secundarii ; neque etiam causa conservativa soni ad aures usque propagati , ergo. Prob. A. 1ma pars : Soni primarii causa productiva non potest esse corpus percutiens , percussum , aut medium , neque soni secundarii , tertii &c. causa sonus primarius ; ergo. Pr. A. 1ma pars : Sæpe in remotis locis auditur sonus , ubi tamen nec corpus percutiens , nec percussum , nec medium amplius existunt : sic frequenter à longè auditur tonitru , postquam jam nubes est penitus disrupta , & aër percutiens , ac percussus . Imò etiam medius est dissipatus ; quo casu corpus percutiens , percussum , aut medium non potest dici causa soni ; ergo. Prob. 2da pars A. Sonus primarius etiam sæpe interiūt , postquam adhuc perdurat sonus tertius , quartus &c. ergo. Pr. jam 2da pars argumenti : Non est causa assignabilis conservativa soni 2di , 3tii &c. ergo. Resp. N. A. & dico , causam productivam soni primarii posse esse omnia tria. Fit autem præductio hujus hoc modo : primò corpus percutiens corpori percusso imprimit impetum , iludque comprimit ; hoc quia est elasticum , reducit se ad statum connaturalem , & vicissim impressionem , & tremorem causat in corpore per-

cutiente, medio, & circumfuso aëre, qua conditione posita producitur sonus ab omnibus his tribus concausis. Hic deinde producit in vicino aëre juxta aliquos sonum secundarium. qui rursus sit qualitas, vel juxta alios, quibus & nos accedemus, speciem sui, hæc iterum similem sibi, donec ultima species terminetur in auditu; ergo. Ad Prob. N. A. ad nlt. Prob 1mae partis D. A. Sæpe in remotis locis auditur sonus per species sui propagatus, ubi tamen nec corpus percutiens, nec percussum, nec medium amplius existunt, nempe in motu, quo positio tanquam conditione resultabat sonus primarius C. A. sinè specie sui propagatus N. A. & C. dum auditur sonus, habetur ultima species soni, ergo potest audiri sonus, etiamsi corpus percutiens, percussum, & medium existant. Et hoc idem ferè Adversarii fateri coguntur: dum enim sonus in loco remoto auditur, certè primus impetus, & motus in se amplius non existit, qui dicitur sonus primus, nec etiam corpus percussum, percutiens, & medium motum quæ tale, quod est aër; ergo multò magis id assertere nos possumus: Minorem enim nos patimur difficultatem in propagatione soni per species, quam illi, admittentes continuò usque ad aurem etiam remotissimum motum aërem similiter primo modificatum deferri. Ad Prob 2dæ. partis: D. A. sæpe interiit physicè, perseverat tamen moraliter in specie sui, quæ continuò pro-

pagatur C. A. Neque perseverat moraliter in specie sui propagata N. A. & C. Ad 2dam partem argumenti N. A. quis enim conservat calorem in aqua remoto igne, quis intensius frigus in homine calidum cubile intrante? Respondebunt Adversarii: Solus DEUS; ergo idem dici debet de causa conservativa soni; deinde quæ est causa conservativa motûs, & impetus propagati per medium? quam illi assignabunt, eandem & nos, multoque facilius adstruemus.

N. XXXIII. Replicabis: Si sonus primarius, vel secundarius, sive hic sit qualitas, sive species, posset producere aliud sibi similem, deberet eum producere sphæricè, sed non potest; ergo. 2. Si sonus posset producere aliud, sape deberet intensiorem producere, quam ipse sit; atqui hoc fieri nequit: non potest enim unum accidens remissius producere alterum intensius; ergo. Prob. M. Si quis moderatè clamat in ollam, aut vas vacuum, sentiet ad aure suas longè majorem sonum redire, quam primum ipse in illud immiserat. Item: possunt tubæ, vel etiam concamerationes ita fieri, ut vox plurimum augeatur, & intendatur; refert enim Dechales tom. 4. Curs. Math. tr. 24. Music. prop. 42 ex Olao Magno in Finlandia esse spuncam horrendam propè urbem Vilurgum, in quam si animal vivum demittatur, oriatur sonus maximè formidabilis, qui ita audientestreakt, ut nec loqui, nec confitgere possint. Si-

mile quid etiam refert ex P. Joanne Paes, quod in montibus Gofanæ (quæ est regio Abassia) detur aliqua rupes, versus quam si quis clamet, vox ita intendatur, ut integri exercitūs clamor esse putetur; ergo. Resp. C. M. N. m. Sonus enim directus datur in omnem sphærām, quia ab omnibus intrā certam sphærām existentibus auditur, ad cuius semidiametrum propagatur. Aliter discurrendum est de sonō reflexo, de quo infra. Ad 2. D. M. Si sonus per varias reflexiones collectus posset producere aliū, sēpe deberet intensiorem producere C. M. si sonus directus posset producere aliū, deberet intensiorem producere N. M. sic D. m. N. C. Ex quo patet responsio ad Prōb. Sonus enim in similibus vasis primò à corpore sonoro in omnem partem sphericè productus, & dispersus per varias reflexiones colligitur, & sic hāud dubiè intensior sonus producitur, vis enim unita, & collecta fortior; ergo.

### ARTICULUS III.

An sonus secundū suum esse reale, an notionale deferatur usque ad auditum?

#### § I. Resolvitur Quæstio.

N. XXXIV. **A**nte decisionem noto: triplex in præsenti difficultate endanda occurrit Authorum sententia. Una est: quæ statuit à primo sono in aëre causato propagari, diffundi, ac multiplicati sonum secundū suum

Suum esse reale usque ad auditū organū, ubi elicitor auditio. Secunda est: quæ dicit à primo sono continuo spargi solas species ipsum representantes usque ad aures. Tertia demum est: quæ ait à primo sono tum alium sonum diffundi ad certum spatium, tum species usque ad auditum. Quælibet harum sententia non caret sua probabilitate: quia tamen communis scè Peripateticorum opinio est, quodlibet sensorium determinari ad sensationem sibi competentem, per speciem perfectè representativam objecti cum primis distantis, non censeo ab hac esse recedendum. Hoc notatō

N. XXXV, Dico: Sonus defertur usque ad aures secundū suum esse notionale, seu: secundū species sui. Est communis Peripateticorum contra Cartistas, Epicuræos, aliósque tum Veteres, tum Recentiores identificantes sonum motui. Prob. Concl: Imò. Si sonus non propagaretur per species sui vicarias, nunquam audiretur sonus primus, sed semper aliquis posterior, sed hoc est contra communem sensum hominum, ergo M. claret: quia cum sonus primus saepe cesset, antequam cunctem auris percipiat, nunquam omnino audiretur, nisi propagaretur per species sui. Prob. Concl: add. cum Conimb. Si sonus non illico diffundat species sui, nunquam integer audietur, sed hoc non; ergo. Prob. M. Impossibile est, ut sonus primus integer secundū esse reale auris

bus habatur, alias etiam totus aer, in quo sphæricè producitur, deberet subire organum auditūs, quod manifestè falsum est, ergo ut totus audiatur, requiritur species diffusa integrè repræsentans sonum primum. Prob. Concl: 3tò. Si sonus non immediate species sui diffunderet usque ad aures, non possemus cognoscere, undenam sonus proveniat, atqui tamen cognoscimus, ergo sonus diffunditur per species sui. Prob. Concl: 4tò. Alia sensibilia nonnisi mediante specie cadunt in sensus, ergo etiam sonus in aures. Prob. A. ab inductione: Color nonnisi per speciem sui cadit in potentiam vivificam (suppono hic, quod color distinguatur realiter à lumine) sapor per speciem sui afficit organum gustūs, &c. ergo etiam sonus mediante specie sui afficit organum auditūs; ergo. Pr. Concl: 5tò. Si sonus non propagaretur per esse notionale, tunc aer deberet esse plenus sonis, sed hoc non; ergo. Prob. m. Aer non potest esse plenus coloribus, ergo neque plenus sonis; ergo hoc ipso sonus propagatur per speciem sui.

### § III. Solvuntur Objectiones.

N. XXXVI. **O**bijc. 1mò. Si sonus non propagaretur per esse suum reale, tunc ideo non, quia sonus primus non auditur, atqui tamen auditur, ergo. Prob. m. Etiam si sonus primus physicè non audiretur, auditur tamen idem moraliter, cum primus sc.

secundum , secundus tertium &c. semper similem primo produceret, ergo. 2. Etiam tum, quando sonus propagaretur per species sui, non semper primus integer audiretur, ergo si ex hac ratione sonus non potest propagari usque ad aures secundum suum esse reale, nec potest propagari secundum esse notionale. 3. Si dicatur, quod sonus diffundatur per species sui, nunquam sonus actu existens auditur; & si dicatur, quod diffundatur secundum esse reale, auditur sonus actu existens, quia ultimus certè existit, qui illabitur in aures; ergo potius sonus propagatur secundum suum esse reale, quam notionale. Resp. C. M. N. m. Ad Prob. D. A. Audiretur tamen idem moraliter secundum quid idem C. A. secundum totum idem moraliter N. A. & C. Si sonus primus propagaretur per sonum 2dum, 3tum, posteriores soni uti deficerent in motu, & undulationibus, ita etiam deficerent in sono, ergo posteriores soni non essent secundum totum idem moraliter, ergo etiam non audiretur sonus primus, sicut est in se. At verò species soni potest totum repræsentare sonum, ergo etiam congruentius dicitur per hanc propagari. Ad 2. Est communis difficultas etiam Adversariis solvenda. Resp. tamen D. A. non semper integer audiaretur sonus primus, & quidem ex hac ratione, quod subinde species ob contrarium ventum abreptæ non possint ulterius tam inteniam

speciem producere, vel quod ob nimiam distan-  
tiam debilitentur C. A, ob aliam rationem N.  
**A. & C.** Ad 3. D. A. nunquam sonus actu *in se*  
existens auditur C. A. *in specie sui propria exi-*  
*stens* N. A. D. Subiunctum: auditur sonus actu  
existens non primus C. primus N. Subj. & C.  
Ut audiatur sonus, debet primus percipi, atqui  
hic percipitur per speciem sui propriam, ergo  
& per hanc diffunditur.

**N. XXXVII.** Replicabis: Si sonus diffun-  
ditur per species sui usque ad auditum, tunc  
pereunte physicè sono primo causata auditio  
non esset cognitio intuitiva, sed abstractiva,  
sed hoc est contra communem sententiam ne-  
gantem sensibus cognitionem abstractivam, er-  
go. Prob. M. Cognitio intuitiva dicitur, quæ  
fertur in objectum existens prout existens; sed  
pereunte sono physicè primo non posset haberi  
talis cognitio; ergo. Resp. N. Seq. M. ad Prob.  
**C. M.** Cognitio intuitiva dicitur, quæ vel fer-  
tur in objectum existens prout existens, vel quæ  
per species proprias, & immediatas fertur in  
objectum, sive hoc existat, vel non existat C.  
M. quæ tantum fertur semper in objectum exi-  
stens prout existens N. M. sic D. m. N. C. Sen-  
tentia admittens sensibus cognitiones intuiti-  
vas, significare tantum intendit illas verè intui-  
tivas, quæ per species proprias, & immediatas  
feruntur in objectum, sive hoc existat, sive  
non; atqui auditio ferretur per species propri-  
as,

as, & immediatas, vel etiam mediatas ab obje-  
cto existente productas, nempe sono primo, er-  
go esset intuitiva cognitio. Et nunquid DEUS  
ab æterno cognitionem intuitivam Petri habu-  
it, & tamen Petrus ab æterno non existit, er-  
go ad cognitionem intuitivam non requiritur  
simpliciter, ut actu physicè objectum existat.

N. XXXVIII. Objic. 2. Si sonus diffundere-  
tur per species, hæ species deberent in instanti  
propagari, sed hoc non, ergo. Pr. M. Quia co-  
lor per species diffunditur in oculum, species  
illius in instanti propagantur; ergo à pari. 2.  
Si sonus per species usque ad aures propagare-  
tur, tunc sonus primus deberet producere ali-  
quas species in omnem sphærām, & hæ species  
rursus alias, sed hoc fieri non potest; ergo.  
Prob. m. Si species primæ producerentur à pri-  
mo sono, tunc transactō, & corruptō sonō  
primo deberent etiam corrumpi species primæ,  
quis enim illas conservaret? corruptis autem  
speciebus primis non possunt aliæ produci ulte-  
riùs quia deficiente causa deficit effectus, ergo  
aut sonus non propagatur per species produ-  
ctas, aut sonus in instanti diffunditur; ergo.  
Resp. N. M. quæ est contra experientiam: au-  
dimus enim tardius sonum tormenti bellici,  
quam videamus flammarum. Ad Prob. compl:  
causal. A. quia color conjunctus lumini per spe-  
cies diffunditur, species ejus in instanti propa-  
gantur C. purè ideo N. causal. A. & C. Sicut lu-

men in instanti propagatur, sic etiam color per species sui in instanti diffunditur. At verò species soni dependent à motu aëris, ergo sicut motus aëris non est instantaneus, sic etiam diffusio specierum soni non est instantanea. Utrumque docet experientia. Ad 2. C. M. N. m. ad Prob. D. A. deberent corrumpi species primæ, si aliunde non conservarentur à DEO juxta exigentiam specierum, ut aliquamdiu durent C. A. si aliunde conservarentur juxta exigentiam N. A. & C. Quod autem species primæ, 2dæ &c. videantur exigere, ut aliquamdiu conservarentur à DEO, eruitur ex ratione à posteriori de sumpta, cùm multò seriùs subinde audiatur sonus, quām fuerit primò productus. Et nunquid conservatur etiam odor, & calor pereunte corpore odorifero, & calefactivo, ergo potest etiam species soni aliquamdiu conservari pereunte sono primo.

N. XXXIX. Objic. 3tiò. Species soni, si dantur, tantùm propagantur per lineam rectam, & tamen sonus auditur per lineam curvam, quod patet ab experientiis, ergo dicendum potius sonum non propagari per species. 2. Si sonus non propagatur secundùm suum esse reale, sed tantùm per species, non potest dari ratio, cur vehemens sonus lèdat potentiam, & dolorem causet capiti, quod utique non adscribendum est speciebus, quæ non videntur esse contrarie capiti, & potentie auditivæ; ergo sonus

nus propagatur secundum suum esse reale, quod, quia vehemens est, laedit potentiam. Resp. D. A. Imam partem: Species soni tantum propagantur per lineam rectam, si non inveniant obstaculum, neque aliò devehantur per ventum C. si inveniant obstaculum &c. N. 1. part. A. Si species soni semper deberent propagari per lineam rectam, nullus posset dari sonus diversimodè reflexus, quod tamen est contra experientiam. Deinde etiam juxta Adversarios deberet sonus propagari per lineam rectam, & tamen admittunt, quod audiat per lineam curvam; ergo à pari. Ad 2. Resp. Imò cum Conimbricensibus, qui causam læsionis potentiae ajunt nimiam aëris commotionem, qua species deferuntur. Sed hæc responsio, ut ait Ariaga, satisfacere non videtur imò: quia non movetur aër tam vehementer ab homine tangentे tympana, vel ab inflante tubam, quam moveri solet aër vento vehementer flante, & tamen sonus tympani, ac tubæ laedit vehementer caput, non ita ventus flans, ergo læsio hæc non potest provenire ex commotione aëris. 2d. quantumvis tympana & cubæ sonent, pulsentur, & inflentur versus hominem surdum, non dolebit illi propterea caput, ergo in homine non surdo, sed audiente id non oritur ex commotione aëris, si enim ab hac causaretur dolor, etiam in surdo deberet causari. 3tiò. homini intrà cubiculum bene clausum constituto, si fo-  
ris

ris sonus vehemens excitetur, creat molestiam,  
 & tamen intus non commovetur potenter aer;  
 ergo. Atque denique, qui caput suum applicaret  
 ori inflantis tubam, illi certe gravis etiam foret  
 sonus, & tamen ibi non commoveretur vehem-  
 enter aer; si enim charta levissima pendula  
 ibidem ponatur, non movebitur, nec quidem  
 leviter a vento, ergo etiam laesio capitum, & do-  
 lor non videtur oriri a commotione aeris. Qua-  
 re Resp: 2dō., & dico causam laesioneis potentiae.  
 & capitum esse sonum per species valde intensas  
 propagatum, qui ad potentiam, ejusque opera-  
 tionem intensam plures spiritus vitales attrahit,  
 qui nimio calore potentiam, & caput laedunt.  
 Quare fit, ut, quia in surdo sonus non excitat  
 ad operationem per species intensas potentiam  
 (est enim impedita, & consequenter non attra-  
 hit spiritus vitales) non laedat caput, quae diffe-  
 rentia non potest intelligi, si laesio ex commo-  
 tione aeris proveniat. Unde licet aer copiosus,  
 & vehementi impulsu intrusus in aures etiam  
 laedere possit potentiam auditivam, plus ta-  
 men sonus per species laedit.

## ARTICULUS IV.

Quodnam subjectum, & medium  
 sit soni?

§ 1. Exponit statum questionis, & resolvit.  
 N. XL. Status questionis in hoc verlatur  
 primò: An sicut lumen est in corpo-  
 re

re luminoso, & diffunditur per medium circumstans aptum ad recipiendum lumen, ita sonus sit in corpore sonante, & diffundatur per medium circumstans aptum ad recipiendum sonum. Affirmat Schottus, negant Conimb. 2dò, An medium, per quod propagatur sonus, vel ejus Species, sit aër tantum, an verè etiam aqua, ignis, corpora solida? Hoc notato

Dico 1. Sonus, nempe primarius, non recipitur in corpore sonante, sed in intercepto medio. Ita Conimb. cum multis. Prob. Concl. I. Si sonus reciperetur in corpore sonante, tunc etiam in vacuo posset fieri sonus, & corpora cœlestia valerent edere concentum, atqui hoc dici non potest, ergo sonus non recipitur in corpore sonante. Pr. m. Si in vacuo posset fieri sonus, possemus etiam illum audire, sed hoc nemo admittit; ergo. Quòd vero corpora cœlestia continentum edere non possint, patet ex eo, quia aere carent, ergo. Prob. Concl: addò: Si sonus reciperetur in corpore sonante, tum sonus à bombarda explosa audiretur in ipsa, & non in aëre, sed hoc manifestè est falsum; ergo. Prob. Concl: 3tiò. Si sonus reciperetur in corpore sonante, tunc si simul duo corpora sonantia compimerentur, etiam deberent recipere sonum; atqui non possunt simul sonum recipere; ergo. Prob. m. Sonus est accidens juxta Peripateticos. atqui unum accidens non potest recipi in duobus corporibus sonantibus; ergo. Quòd ve-

et sonus recipiatur in intercepto medio, quale est aëris, sic probatur ab experientia: In cymbali percussione, licet et illud uniformiter, & constanter permaneat, non tamen manet idem constantis sonus, qui per diversos instantibus percipitur, quia scilicet aëris intrà cavum aeris hinc inde ad latera allitus variis instantibus varios reddit sonos; ergo si varietas soni respondet varietati motus aeris, in aëre debet sonus recipi, ac subjectari. Conf. 1<sup>o</sup>. Juxta diversam figuram corporis aërem capientis fit, vel minor sonus, quia magis idem et sonat, si concavum sit, quam si expanse, ergo in aëre subjectatur sonus. Conf. 2<sup>o</sup>. Flante vento pulsatae campanae audiuntur longè soni distantiores ex parte, in quam ventus impellit, ergo signum est, quod soni recipiantur in aëre. Accedit: quod vox non recipiatur in palato, neque in fauibus, sed in aëre, quem traxit, & per quem ad potentiam auditivam propagatur; ergo hoc ipso corpora sonantia non producunt sonum in seipsis, sed tantum in intercepto medio, seu aëre.

N. XLI. Dico 2<sup>o</sup>: Præter aërem, medium, in quo recipitur, & per quod propagatur sonus, est etiam aqua, imo & ignis. Ita Aristoteles, Conimbricenses, & Philosophi passim omnes. De aëre quidem nemo dubitat, de aqua vero sic Prob. 1<sup>o</sup>. Aqua habet easdem conditiones, quas habet aëris, ad agendum medium soni, ergo si aëris juxta omnes potest agere me.

medium, & subjectum, in quo recipiatur, & per quod propagetur, etiam aqua poterit esse medium, & subjectum soni. Prob. A. Aqua mollis est, ac facilis divisu, potestque violentes comprimi, sed has conditiones habet etiam aëris, ergo aqua habet easdem conditiones requiras ad recipiendum, & ad propagandum sonum, quas habet aëris; ergo. Prob. Concl: 2dò. Si lebes in fundum putei cum impetu demittatur, sonum causat, quem propagat per aquam usque ad aures foris existentes. Si ranas sub aquis coaxent, aut lapilli in fundo torrentis collidantur, sonus illorum extra aquam auditur. Urinatores profundè infra aquam demersi audiunt foris loquentes. Si aqua congeletur, auditur aqua subternè defluens. Plinius refert sub aqua audire mugilem, lupum, satyram, & chromin; delphinum verò non solum sonos, percipere, sed etiam concentu symphonizæ mulceri, quod ultimum Schottus propriæ experientiæ se doctum fuisse testatur part. 2 lib. 1. Mag. Phonol. Ubi ita scribit: anno 1633. cùm Neapoli in Siciliam navigarem, exiguâ scaphâ vectus, & post sex dierum navigationem prosperam tandem die septimo Messianam urbem in conspectu haberem; cœpi cum sociis Ambrosianum hymnum: *Te DEUM laudamus,* & litanias Lauretanæ in DEI-paræ laudem cantare harmonico concentu: & ecce agminatim delphini accurvunt, naviculam circumnatant, in

In aetate exiliunt, comitantur ad longissimum spatium, nec nisi finito concentu discedunt. Simile quid refert Apion lib. 5. Gellius lib. 7. c. 8. p. 418. de adolescente, qui Puteolos profectus, ut mansuetioribus literis operam daret, delphinum in lacu proximo ita cicurem, & mansuetum reddidit, ut quotidie alimentum e manu sumeret. Ut primum juvenis *Simonem* (hoc delphino nomen erat) vocabat, aderat ex aquarum imo *Simon*. Juvene extinto subinde ad consuetum locum ventitans delphinus tristis, & micerenti similis, quod juvenem amplius non observaret, ipse quoque desiderio expiravit. Ex quibus experientiis facilè eruitur aquam esse & subjectum, & medium soni. Prædicta pars Concl. quod etiam ignis sic subjectum, & medium soni. Ignis rarus est ut aër, etiam si minùs, ideoque etiam minùs facilè per eundem propagatur, & obtusius ibidem percipetur sonus, si quis in igne existeret; ergo. Prob. 2dū. Si inter flamas corpora solida simul colliduntur, percipitur sonus, ut in aëre, ergo ignis est subjectum, & medium soni. Prob. 3tiō. Ignis non minùs, ac aqua est divisus facilis, eeteraque habet conditiones ad sonum propagandum idoneas, ergo. Ex his infero: Corpora solida, ut quibusdam placet, præcipue Schotto, non esse medium sonorum, ratio est: quia carent tum raritate, tum difficilius dividendi possunt, ergo.

**§ II. Salvuntur Objectiones.**

**N. XLII.** **O** Bjic. 1mō: A corporibus sonantibus dicitur sonus, ergo sonus primarius debet recipi in corpore sonante tanquam proprio subiecto. 2. Color subiectatur in colorato, sapor in sapido, odor in odorifero, ergo etiam sonus in corpore sonante. 3. Si corpora sonantia non essent subiectum soni, tunc ideo, quia si ponerentur in vacuo, & colliderentur, non ederent sonum, atqui hæc ratio nulla est; ergo. Prob. n. si corpora sonantia in vacuo posita simul colliderentur, verè producerent in se sonum, etiamsi audiri nequeret; ergo Prob. A. Etiamsi sol constitueretur in vacuo, adhuc haberet in se lucem, etiamsi forte non videretur; ergo à pari. Resp. D. A. à corporibus sonantibus dicitur sonus tanquam à causis efficientibus sonum C. A. tanquam à subiectis recipientibus sonum N. A. & C. Causa efficiens ad extra agens non recipit in se effetum, atqui corpora sonantia sunt causa ad extra efficiens sonum, ergo hunc non recipiunt. Ad 2. C. A. N. C. Disp. est: quia color, odor, sapor sunt qualitates permanentes, fixæ, stabiles, ergo inhærent illi, quod est coloratum, odoriferum, sapidum. At verò sonus non est qualitas permanens, & fixa, sed dum sit, tantum est, & ibi est, ubi dignitur; atqui dignitur tantum in intermedio aëre, ergo etiam tantum ibi recipitur. Ad 3. C. M. N. m. ad Prob. N. A. ad

ulterioreni Prob. tr. A. N. C. Disp. est: quia lux est proprietas solis, sed proprietas recipitur in eo, cuius est proprietas, ergo etiam lux recipitur in sole, etiam si forte in vacuo non videretur sol. At verò sonus non est proprietas corporum sonantium, sed est strictus effectus, sine quo naturaliter existere possunt corpora sonantia, ergo etiam in illis non produceretur in vacuo constitutis; quia ut produceretur, habere deberet omnia requisita, inter quæ opinionem omnium requiriuntur tria, corpus percussum, percutiens, & medium; atqui in vacuo hæc tria non haberentur, quia decesset medium; ergo. Deinde sicut si sol in vacuo lucidus non videretur, bene argueretur, quod non emanasset lucem; ita etiam, si sonus non audiretur in vacuo, bene argueretur, quod corpora sonantia non produxisserent sonum, ergo minùs receperissent.

**N. XLIII. Objic. 2dò.** Etiam solida corpora sunt medium soni; ergo non solum aëris, aqua & ignis. Prob. A. Species coloris devehuntur per corpora solida, modò tralucida sint; ergo etiam species soni possunt propagari per solida corpora. a. Beati post corporum resurrectionem in cœlo, ubi neque aëris, neque aqua, aut ignis est, inter se externo sermone colloquentur, ut est communis Patrum sententia, ergo 3. Talpæ intrâ terram absconditæ audiunt. Muggitus ab ignibus subterraneis intrâ profundissi-

ma terræ viscera excitati audiuntur foris, ut teates sunt Catanenses, aliisque Aenæ montis ignivomi in Sicilia accolæ. In Tucumanensi regno dum intrâ terræ viscera globi quidam lapidei intus amethystis pleni ob maturitatem rumpuntur, foris maximus percipitur strepitus. Intrâ conclavia undique clausa, & crassis etiam muris septa audiuntur soni extra excitati, sive leviter pulsetur foris paries. Percussa leviter ab una extremitate trabe, si quis ab altera extremitate aurem applicet, sonum clarissimè percipit; imò & vocem submissè admurmurantem. Atqui hæc omnia corpora sunt solida, ergo corpora solida possunt agere medium, & subiectum sonorum; ergo. Resp. N. A. ad Prob. C. A. N. C. Disp: est: quia per illud species coloris possunt propagari, quod est diaphanum; atqui etiam corpora solida sunt diaphana; ergo. At vero per illud species soni, & ipse sonus propagari, & in eo recipi potest, quod est molle, divisu facile, sed hæc non sunt corpora solida, ergo. 2dò Species coloris non dependent à motu, ergo possunt etiam per corpora solida, modò tralucida sint, propagari. Econtra species soni semper cum motu sunt conjunctæ, atqui si propagarentur per corpora solida, non essent conjunctæ cum motu: in illis enim nullus motus observatur; ergo. Ad 2. D. A. Inter se externo sermone colloquentur, qui propagabitur purè per species intentionales C.

A. alio modō N. A. & C. S. Thomas in 2. dist. 2. ar. 2. ad 5. ait: in pulmone, & gutture Beatorum fore connaturalem quendam aërem à DEO illis concessum in resurrectione, non ob necessitatem respirandi, aut expirandi: nec enim illis necessarius erit usus respirationis, aut expirationis, sed ad voces efformandas; illo enim aere ad vocalem arteriam librato, & linguâ, dentibus, ac reliquis vocalibus instrumentis percusso, vocem efformabunt, quæ modō magis immateriali, quam apud nos, id est: tantum secundūm esse intentionale diffundetur per corpus cœleste. Ex quo liquet, quod etiam species sermonis Beatorum in cœlo constitutorum non propagabuntur per corpora solida, sed forte per aërem illum tunc emissum, in quo recipientur species sermonis. Ad 3. C. omnes experientias. D. m. atqui hæc omnia corpora sunt solida, per quorum poros deferuntur species soni usque ad aures C. m. per ipsa corpora, & non per poros eorum N. m. sic D. C. & N. C. Terra, montes, & similia corpora utique habent poros, in quibus receptus aëris; ergo per hunc aërem receptum propagantur soni, non per ipsa corpora solida secundūm se quomodo-  
cunque sumpta, quod nostram conclu-  
sionem non evertit,

## ARTICULUS V.

Resolvit quædam Problemata, & quæ sita ad præsentem materiam spectantia.

N. XLIV. Problem. I. **M**um. Quomodo sonus intrà aquam excitatus, foris ; & extra eandem excitatus intùs audiri possit, cùm tamen aqua juxta quodam non videatur habere poros, per quos sonus, ejusque species cum aëre commoto propagari possint ; ut enim alii liquores, ita & aqua omnes meatus suos implet, omnemque excludit aërem. Resp. cum Schotto in Mag. Phonolog. c. 5. § 5. Aquam tum à motu, tum à sono, tam extra, quam intrà ipsam excitato, moveri, & crisparsi in circulos aut orbes, non aliter, ac ipse aér. Medi-antibus autem undulationibus deferuntur species soni ex aqua in aërem intus existentem. Ob hanc rationem dat causam P. Kircherus lib. I. Musurgiæ c. 6. Consectario 2. cur Siculum fretum etiam tranquillo tempore crispum sit perpetuò, & quasi continuis ventis agitatum : quia scilicet in fundo ejus silices per vehementes aestus agitantur, agitati excitant fragorem, qui per vibrationes aquæ usqne ad superficiem violentè propagatur, ubi tandem crispationem causat ; atque ita sonus intùs in aqua excitatus per copiosas undulationes propagatus facile foris audiri potest. Exinde etiam patet, quomodo sonus foris excitatus in aqua audiri pos-

sit: causantur nempe pariter à motu, quo defertur sonus, crispationes, & vibrationes aquæ, usque ad fundum aquæ, ubi finitur, & auditur sonus. Si quæras: Cur sonus sub terra distinetius, quam sub aqua percipiatur? Resp. rationem esse: quia terra plures, & ampliores pores nanciscitur, quam aqua; & hinc mirum videri non potest, quod melius & distinctius audiatur sonus sub terra, quam aqua.

N. XLV. Problem. 2dum. Quare sonus, qui foris excitatur, ostiis, & fenestræ bene clausis, longius distare appareat, quam si liberè per aperta ostia, & fenestras domus subintret? Resp. causam esse: quia motus aëris admodum debilitatur antequam auditum attingat, quem ideo tam debiliter ferit, quasi ex longiori spatio advehetur, ut etiam phantasia, aut intellectus judicet illum à longe venire. Contrarium sit, si ostia & fenestræ sint apertæ. Ratio ulterior est: quia quod magis condensatur medium, eò magis debilitatur sonus, seu minus penetrat; minus enim auditur, si fenestra, aut ostium duabus munitatur valvis, quam unâ. Minus itidem percipitur si paries crassior interponatur, quam tenuior. Potest etiam ita condensari medium, ut sonus proorsus non penetrat, neque auditum feriat. Ex Hectore Poëtio refert Kircherus lib. I. Musurg. c 6. in Pila Scotiæ Provincia saxum quoddam esse, quod surdum vocant indigenæ, hoc ex capite: quod quando-

quantumvis sonus vehemens in illius imo excitetur, tamen ex opposita parte nihil percipiatur ob ingentem saxy soliditatem, quæ impedit soni transitum. Affirmat idem Kircherus, si quis intrà vas vitreum hermeticè clausum consisteret, quòd sonum afforis excitatum non perciperet ob soliditatem vitri, quæ facile inter corpora omnia maxima, omnibus pene constituta poris.

N. XLVI. Ptoblem. 3tium Cur cœlo pluente, vel ningente difficiùs sonos audiamus? Resp. ideo : quia deciduae nives, vel pluviales aquæ plures partes aëris intercipiunt, & ita soni propagationem aliquantum impediunt; si enim sonus in floccos nivis, aut gurtas pluvias impingat, dirumpitur, atque minuitur. Ex eadem ratione potest etiam dici, quòd cœlo pluente, aut ningente corpus sonans longius distare videatur. Fromondus comprobat veritatem à propria experientia, ut locô cit. a. 3, facetur : Cùm enim in flumine Mosa veheretur, aëte densissimâ nebulâ constipato, & fabri ferrarii ad vicinam ripam incudes suas tunderent, judicaverit eos fuisse medio milliari à ripa distantes, judicij scilicet aurum.

N. XLVII. Probl. 4tum. Cur intrà domum magis percipiatur sonus extrinsecus excitatus v. g. ab horologio, aut campana sonante, quam in platea aut campo, etiam si eadem distantia servetur à corpore sonoro? Resp. hanc esse ra-

tionem: quia in platea, vel campo magis dilataatur, ac dissipatur sonus, cum non inveniat obstacula, atque minus auditus organum afficit; è contra sonus ingrediens domum colligitur intera parietes, magisque unitur: vis vero unita fortior, quod magis est collecta, ergo etiam sonus magis percipitur intra, quam extra domum.

N. XLVIII. Problem. Quidam. Cur nox ad audiendum sit aptior, quam dies? Resp. cum Anaxagora: quia aer a sole calefactus de die stridet, & obstrepit, de nocte vero absente calore quiescit: & hinc mirum non est, quando omnia sunt quieta, magis de nocte audiri sonum. Accedit: quod aer diurnus vocibus, motu vigilantium animalium, & maximè vaporibus, ac exhalationibus, quae ictæ radiis solis elevantur, & in aere fluctuant, plenus multò inquietior sit, quam nocturnus; unde etiam de die soni magis observantur esse confusi, & obtusi. Alia & melior testante Conimbiticenium Collegio, dubii hujus solutio desumitur ex Aristotele, qui aiebat: quod de die anima pluribus distrahatur, & ad plura applicetur, jam ad videndum, jam ambulandum, jam intelligendum, unde ineptior redditur ad bene audiendum; nam pluribus intentus, minor est ad singula sensus. De nocte vero cum omnia silentium teneant, neque etiam tot sint objecta, quibus anima distrahatur, sed solum se recreat; & ideo etiam clarius, distinctius percipit sonos

nos de nocte , quām de die , cūm ad audiēdum magis applicetur.

**N. XLIX.** Problem. 6tum. Cur sonus aut vox loquentium in elatiori loco consistentium melius percipiatur ab iis , qui infrā , quām qui suprā vocem emittentes positi sunt ? Resp. Cūm sonus & vox non propagetur sinē motu vibrationis , & impulsu aëris , aër verò naturā suā deorsum gravitet , hinc sit , quod melius sonus , aut vox ab infrā constitutis percipiatur . Accedit : quod vox & aër à loquente non emit- tatur sinē quodam humore ; humor verò de- scendit , ergo etiam facilius inferior loquentem superiūs , quām è contra percipere potest .

**N. L.** Problem. 7mum. Cur sonus stridulus sit auribus ingratius ? Resp. Ideo , quia tympanum auris malè afficit propter inæquali- tatem aopullūs ; quemadmodum enim aspera superficies , spinis , aculeis , scapulis obarmata tactui est ingrata , ita sonus asper , vel stridulus ingratius est auribus , quia inæqualis impedit e- jus ordinatas vibrationes : Stridulum sonum verò audimus , cūm ferrum limatur , lignum ser- rā scinditur ; hinc stridulus sonus ferè coincidit cum aspero , & plures habet inæqualium parti- um vibrationes : nam cūm ferrum limatur , plu- sibus saltibus subsultat limula illa propter aspe- ritatem , & cavitulas , quibus constat ; hac ra- tione striæ in ferro inæqualiter vibrantur , & so- num reddunt stridulum . Indè etiam deduci-

tur, quod sicut sonus ingratus is dicitur, qui partium inæqualium habet vibrationes, ita & contra sonus gratus dicatur, qui in quadam legitate, & æqualitate vibrationum consistit. Si ad hæc quæras: Cur ad certos & injucundos, ac molestos sonos v. g. ferræ, dum acuitur, dentes obstupescant? Resp. ex eo contingere; quia vibrationes inæquales, postquam male affectunt tympanum, deducuntur per meatum ex aure, qui aquæ ductus appellatur, in maxillam, post in gingivas, demum ad dentes, quos pariter male afficiunt, & ita hi obstupescunt.

N. LI. Quæres imò: Cur sonus contra venenum Tarantulæ plurimam valeat? Ante quam respondeam, observo imò. Tarantulam esse aranei majoris speciem, oculos habentem octo, pedes totidem. Invenitur hæc non solum Tarenti, à quo Tarantulæ nomen sortita, sed etiam in compluribus Italiæ locis. Copia Tarantularum maxima in Apuliæ planicie deprehenditur, quarum morsus est omnino venenatus. Hunc dolor acutissimus, & paucas intrâ horas torpor membrorum comitatur, & nisi si oxyùs quis opem ferat læso, moritur. Censent nonnulli venenum hoc tamdiu perseverare in corpore ægri, quamdiu vivit tarantula, verum id anile est commentum, quia nulla inveneri potest ratio, ob quam sanari debeat ægeri mortuò phalangiò. Schottus putat mag. Univ. part. 2. p. 239. ad pediculatum venenum ex ægrophas.

pharmacum. adhuc nullum inventum fuisse, quod optatum tulisset effectum, præter sonum qualitati veneni proportionatum. qui per admirabilem quendam consensum, seu sympathiam patientem, velit, nolit, usque ad ludorem, & defecctionem virium, saltare cogit. Hoc enim sono suscitatum venenum ægros quoslibet in saltus cogit ita violentè, ut Viri etiam cætero- quin modestissimi, & honestissimæ Matronæ postposito omni pudore, scurrarum instar, vel potius lymphatorum, phylomanicorum, dæmoniacorumque tamdiu saltantे. ridiculis cum gestibus, ac motibus corporis, donec viribus nimio motu defatigatis terræ illisi, vivum exanimis hominis simulacrum intuentibus præbeant. Post exiguum temporis intervallum vindictantis per refocillati, restauratis veluti viribus, majori nisu eosdem saltus ad sonos repetitos repetunt ad tertiam, quartam, ac plures defatigations, sìque per triduum, aut quadriduum. Erat ejusmodi æger, qui horas sex absque intermissione saltando exegit. Ad saltum tamen animandum ægrum non omnis sonus aptus est: quidam enim tarantati, seu venenò tarantulæ affecti suavi vocum concentu, quidam dulci instrumentorum concinentium harmoniâ, alii vocibus, & instrumentis simul concinentibus, aliü nonnisí tympanis, tubis, aliisque strepitosis instrumentis excitantur, & in saltum, qui unicum malè affectorum est remedium, animantur.

etur. Neque tamen omnes tarantati eodem modo pedes in saltum animant: alii enim veluti temulenti, alii pomposè, & graviter, ut Hispani, saltitant, alii celerrimo motu in omnem partem feruntur. Observo 2dò. cum Kirchero, & Schotto: Sonos harmoniacos eundem saltandi effectum in tarantulis præstare, quem præstat in tarantatis. Assertum hoc probant duo Patres alii è Societate nostra, nempe P. Paulus Nicobellius in Apulia Lupiensis Collegii, & P. Johannes Baptista Gallibertus Tarantini Collegii olim Rector adductò experimentò. Referunt hī hujus rei experimentum in urbe Andria in palatio Ducali à Serenissima Duce Andriæ coram uno è Patribus nostris, totaque aula esse factum; nam cùm dicta Dux de ea re səpiùs audisset, tarantulam datâ operâ inquisitam conchæ aquâ refertæ imponi, & in ea supra festucam tenuem librari jussit, mox cytharædum præsentem pulsare cytharam præcepit. Tarantula quidem sub initium nullum motus dedit signum, postquam verò proportionatum humori, ac veneno suo cyrbara edidisset sonum, frequenti pedum subsultatione ad numeros harmoniacos se tamdiu agitavit, quamdiu Cytharædus instrumentum pulsavit; cessante harmonia & bestiola saltare desit. Quæ experientia səpiùs deinde Tarenti repetita est. His observatis jam ad quæsitus supra allegatum, cur sonus contra venenum tarantulæ plurimùm valeat?

N. LII. Resp. Per sonum, sive hic pro-  
veniat à chordis instrumentorum incitatis, sive  
à cantibus, sive à tympanis, aut tubis (tale enim  
instrumentum adhiberi debet, quod genio &  
grotantis arridet) concitatur aër, & per vibra-  
tiones tympanum auris gratum pulsat; similis  
exinde cum sono motus ab aurium tympano ad  
nervum acusticum, ex hoc in cerebrum, è ce-  
rebro ad vasā humorum traducitur, quæ parūm  
stimulat, humorēmque quasi è somno excitat.  
Hoc excitato si diutiis, & celerius sonus eda-  
tur, spiritus incalescunt, & attenuantur, atte-  
nuati, ac rarefacti arterias, musculos, intimas.  
que fibras, spirituum sedes commode afficiunt,  
mulcent, vellicant; hac vellicatione, quia gra-  
ta patienti, et si violenta, dulciter affectus ta-  
rantatus in saltus prorumpere cogitur, quos to-  
tius corporis, humorūmque commotio sequi-  
tur, commotionem calor intensior, calorem la-  
xatio, & apertio pororum, hanc sudor, & ve-  
neni expiratio, quam tandem ægroti alleviatio,  
vel etiam perfecta sanitas comitatur. Non ta-  
men semper totum venenum expellitur, nisi  
sæpius ad sonum repetitum saltus instituatur;  
& hinc etiam, ut Kircherus cum Schotto fate-  
tur, subinde necesse est secundò, vel etiam ter-  
tiò anno calidiore tempore, quo venenum fu-  
scitari, & nova symptomata causare occipit,  
eadem saltationes repeteret, donec perfecta sa-  
nitas consequatur. Dixi vero supra: Non e-  
mam

monem sonum & harmoniam prodesse tarantula-  
tis, sed diversis diversos sonos esse adhibendos,  
causa videtur diversum temperamentum venci-  
ni, vel venenatorum, aut utrorumque. Quod  
vero diversæ tarantulæ diversum venenum ha-  
bere videantur, quorum unum contrariatur al-  
teri, expertus est ille Hispanus, de quo Kirche-  
rus scribit, Tarenti commorans: hic cum audie-  
isset diversum venenum diversis inesse tarantu-  
lis, in se ipso experimentum capere voluit.  
Duas igitur tarantulas & colore, & qualitate di-  
versas manui imposuit, hancque laceffitas variis  
in partibus suæ manus puncturas infigere admi-  
lit. Morsibus perceptis, & veneno paulatim  
per totum corpus diffusò sentiuntur gravissimi  
paroxysmi, malique angustiae. Advocantur  
Citharædi, omnis generis Musici, varia ten-  
tantur harmoniarum genera. Sentit tandem  
ager ab uno modulo fortiter se ad saltum im-  
pelli, sed frustra: quantum enim unum vene-  
num motum impulit, tantum alterum impedi-  
vit, & retraxit à saltu, quo usque remedio su-  
perstite nullo, neque fono milder hic Hispanus  
non sine dolore & commiseratione præsentium  
vitam suam clauserit. Ex hoc, & similibus e-  
xemplis clare deducitur, ut diversum vene-  
num inest tarantulis, ita etiam diversos sonos  
esse adhibendos progenio, & constitutione tā-  
rantolorum.

N. LIII. Quæres adhuc. Quomodo fiat;  
quod

quod tacta, seu vibrata unâ chordâ etiam sonet alia ei unisona, seu unius soni cum ipsa, quamvis non sit tacta? Resp. Vibrations in Musis instrumentis excitatæ cauſant vibrations similiter modificatas communiter in aëre, & hic rursus eas propagat in alia corpora, præsterim ad similes impressiones idoneas, ut fieri constat in lumine, & fumo lucernarum; indè cùm una chorda alteri unisona similiter tensa ex se sit apta ad similem impressionem, seu impetum similiter modificatum recipiendum, sit, ut sæpe, & si non tangatur manu, vel plectrō, similes vibrations ab aëre in ipsa excitentur, consequenter etiam ab ea sonus edatur. Dixi no-tanter *similiter tensa*: Nam si chorda simili modo tensa non est, nullum edit sonum, ut constat ab experientia. Imò ut quidam Recentior censem, si chorda non innitatur solidis fulcris, sed tantum digitis manuum in aëre teneatur, sonum non edit, licet mota fuerit; cuius rei ratio clara est, quia scilicet non adeat sufficiens, & proportionata tensio. Quod si vero chorda innitatur quidem fulcris solidis, sicutque etiam tensa, sed non æqualiter cum alterius tensione chordæ, longè ad aliud sonum edendum determinata, vix tacta altera chorda hæc sonum edet.

N. LIV. Quæres 3tiò. An sonus possit eanlibus includi, & ibidem aliquo temporis spatiò permanere, & reclusus audiri? Resp. Joannæ Baptista Porta lib. 19. mag. natur. C. 1. di-

Dicit posse sonum includi intrà canalem Iongum , aut tortuosum ; & conservari ibidem aliquid tempore tanquam carcere clausum , ac postea emissum auribus percipi . Eandem sententiam adscribit quidam alias Cornelio Agríppæ , Joanni Jacobo Weckero , Alexio Pedemontano , quæ tamen apud citatos Authores non invenitur . Kircherus lib. 9. Musurg. c. 3. & ex ipso Harstorferus tom. 2. deliciarum Mathematic. part. 9. q. 27. eandem referunt , sed refutant , & tanquam fabulosam meritò rejiciunt non secus , ac illam improbabûrunt , quæ ajebat , in Boreali regione tempore hyemis verba subdio prolata ob vehementissimum frigus congelari , & concrescere propè os loquentis , quæ deinde appetente vere , cùm nives , & glacies solvuntur , quasi è compedibus solvantur , & ulterius provehantur ; adeoque aërem tum plenum esse sonis , & vocibus , licet nemo loquetur , quæ sententia adhuc magis fabulosa est . Ratio vero , cur refutata prior fuerit à Kirchero , est : quia si sonus intrà canales claudi , & iisdem reseratis audiri posset , deberet etiam manere motus aëris in canalibus , atqui hic non manet , impeditur enim motus per obstructiōnem ; ergo . Prob M. Sonus nunquam habetur nisi habeatur motus , cùm sit saltēm necessaria conditio ad productionem , & propagationem soni ; ergo . Obstructis itaq; canalibus perit sonus , qui aliunde ex natura sua tendit ad interium .

tum. Neque obstat, quod sonus, & vox etiam per meatus longos possit propagari, ita, ut quidquid ab una extremitate immurmuratur, ab altera erumpat, & exaudiatur, ut experientia constat: nam hac ratione Ægyptii Sacerdotes ad plebem decipiendam conficiebant statutas loquentes, quarum unam Schottus se vidisse ait Romæ in ædibus D. Francisci Serra. Ratio est: quia in his omnibus canales non sunt obstructi, atque adeo potest manere motus, & cum hoc sonus; contrarium verò haberetur in canalibus clausis; ergo.

### QUÆSTIO III. De Phonocampi, & voce humana.

**Q**uamvis innumeræ sint species soni, quorum multæ sparsim insinuatæ, principes tamen facile Phonocampis, seu Echo, & vox humana ab Authoribus censentur tum ob mirabilem earundem genesis, tum ob miram propagationem, & inter se distinctionem; quæ omnia non modicam doctissimis quibusque Viris facilius re difficultatem. Quare merito speciale sibi vendicant questionem, quam in quinque dispescimus articulos. Imus docebit naturam Echus, ejusque generationem. Edus. Investigabit, quale objectum Phonocampi sum esse debeat? 3tius. Quale sit medium

Phonocampticum, ac quomodo per id sonus reflexus propagetur. 4tus. Aget de Actinobilismo Phonocamplico, sive de soni reflexi radiatione. 5tus. Explicabit organum vocis, & quā hæc fiat, resolvētque tandem quædam Problemata ad præsentem materiam pertinentia.

## ARTICULUS I.

N. LV. **E** Cho à Philosophis passim *reflexa, percussa, reciproca vox*: ab Hebreis Patcol, id est: filia vocis nutcupatur, nobis *fumia lucis* non ineptè dici posse videtur: quemadmodum enim lumen à corpore lucido procedens, & profusum, si in corpus opacum incurrit, ut ulterius *pergere*, ac se propagare prohibetur, retro agitur, ac veluti in se ipsum reflectitur; ita & sonus per aëris undulationes in directum aliquantum provectus, si in corpus opacum ad reflexionem efficiendam aptum impingat, retro cedit, & vel in seipsum, vel in latus reflectitur. Hujus natura recondita est, ut huçusque vix sit, qui eam ritè, clarè, & ad caput hominum explicarit. Primus, qui de Echometria scripsit, Plancanus erat, succedit subinde P. Kircherus cum Schotto, sed neuter convictus placitis Plancani, ultrà in naturam Phonocampsis, seu Echūs indagārunt, donec novis, & novis scaturiginibus inventis Echosophiam in eum perfectionis gradum evexissent, quem scientia hæc nobilissimā uti compluribus re-

secondita, ita per paucis nota postulare videbatur. Est ergo Echo absque controversia sonus reflexus, repercussus, reciprocus, qui ita, redditumque perficitur; at quomodo ille itus, reditusque contingat, acriter disceptatur.

N. LVI. Alexander Aphrotisius sentit: produci Phonocampsum nihil aliud esse, quam continua successione fieri percussionses aeris a corpore sonante usque ad corpus repercutiens, & inde rursus usque ad potentiam auditivam, adeo, ut primus aer inter concussa corpora sonantia percussus maximè sibi circumstantem aerem simili percussione afficiat, & hic rursus alium, atque alium usque ad corpus obsistens; ultimus vero, qui propè corpus obsistens, percussus, & modificatus fuit, a corporis illius percussione rejiciatur, velut pila a pariete. Sed hanc sententiam falsam esse patet tum ex dictis, tum etiam ex eo, quod aer primus percussus, a primâ plagâ affectus tantas vires non contingat, ut similem percussionem succedenti cum primis in longum spatium aëri imprimat: Majores enim certe vires habent corpora inter se collisa, quam intermedius aer; consequenter nec Echo, quæ est sonus reflexus, potest cum aere, simili modificatione affecto ad aurem usque revelli; deficiente enim simili modificatione similis deficit sonus. Sequeretur præterea, quod primus sonus non reaudiretur, quod est contra experientiam, & communem Philosophorum.

sciam : quia cum juxta hunc Authorem aut sonus esset motui identificatus , aut saltē 4o, nus secundus , tertius &c. esset qualitas continuò propagata , nec primus motus rediret , nec prima qualitas soni reverberetur , ut per se claret ; ergo . 2dō Conimb. Aristotelis interpres inquirentes , num Echo fiat reperclusso aere , qui sonum suō quasi remigio vehat , reverberante , respondent : sicut non necesse est , aerem cetero spatio , quo sonus funditur , nec sonum secundum esse reale spargi cetero tractu , quem species per vagantur ; ita non requiri ad Echū generationem , ut totus aer agitetur usque ad locum , unde voces reciproca fiant ; ergo . Quare

N. LVII. Dico cum Peripateticis conformater ad ea , quae præcedente quæstione art . 2. & 3. dicta sunt , reflexionem soni hoc modo contingere : Species soni productæ à sono primario , & continua successione propagatae una cum undulationibus aeris sphæricè provehentur usque ad corpus aliquod obſistens , à quo ultimus aer corpori impactus , cum ulterius provehiri prohibetur , retunditur , & revertendo similes undulationes præcedentibus , & vibraciones aeris resuscitat , ac species soni primarii reverberit , ita , ut idem sonus , qui prius à potentia auditiva dire ~~re~~ perceptus fuit , jam reflexè audiatur . Ita sentit cum primis Fromondus lib . 3. de anima c . 4. ar . 6. quod ita benè genesis Echū explicetur , vel ex eo liquet , quia hoc admisso

or-

ortu Phonocampsis primus sonus reauditur per species revertentes , & repræsentantes primarium sonum. 2dō. Ratio etiam reddi potest, cur species tardius nonihil redeant ad auditum usque , quām abeant ad corpus obſistens, quia ſci- licet undulationes aëris per regressum fiunt de- biliores , cum quibus devchuntur species. 3tō. Erui potest , quare communiter noviffima tan- tūm verba per reflexionem audiantur, quia dum posteriora verba pronuntiantur , circuli, ſeu or- bes aëris versùs corpus reverberans euntis im- pediunt redditum contrariorum circulorum pri- morum à reverberante corpore causatorum , ſpeciemque . & imaginem priorum verborum referentium versùs auditum loquentis , & ideo ultima verba plerumque tantūm audiuntur. Di- xi communiter, & plerumque ultima verba tan- tūm reaudiri : quia aliquando contingit, ut in Echo integri audiantur ſoni, quando nimirum corpus reflectens , de quā mox plura , in exceilenti gradu habet conditiones ad Echo requi- fitas.

## ARTICULUS II.

Quale debeat esse objectum Phonocam- pticum , ſeu corpus ſonum reflectens ?

N. LVIII. **O**bjectum Phonocampticum dicitur esse obſtaculum ca- pax ſonum , aut vocem reflectendi. Hoc cor- pus obſistens verè dicitur variū , unde reflectatur

sonis; subinde sunt rupes, & saxa concava juxta illud Ovidii:

**Reddebat nomen concava saxa tuum.**

Subinde sylvæ, ubi nullæ rupes, aut saxa concava reperiuntur conformiter ad illud Virg.

**Non canimus surdis, respondent omnia sylvæ.**

Ratio præterea est: quia copiosæ superficies arborum, & foliorum impediunt, quod minus vox, & aëris circuli penetrare possint, atque adeò sonus reflectitur. Id verum est, quod Echo melius à rupibus, & montibus concavis, quam à sylvis percipiatur, quia species soni inter folia arborum magis disperguatur; in concavitate è contra montium, saxonum, rupium, colliguntur, atque ita integræ species sonorum revehuntur. De aquis fluminum, lacuum, marium, quæ politam & specularem superficiem manescuntur, dubium etiam esse non potest, quin ad Echūs productionem concurrant, præmisis, si ex opposita parte obstacula aliqua, ut ædificia, arbores, montes occurrant; quæ si abessent, sonus non reflecteretur, ut multiplex docet experientia. Ratio hujus est: quia sonus directus speculari aquæ superficie receptus mititur integer in angulosos dominum, vel montem anfractus, & ab iis clarè, integrè remittitur ad undum edentis sonum. Quod vero ipsa aqua multum conseruat ad reflexionem soni, ex-

perientia docet in puteis, qui aquis abundantes decuplè resonantiores sunt, quam aquis nudati, præsertim si interior superficies concava ad sphæricam figuram accesserit. Melius autem resonat puteus supernè apertus, & libero aëri expositus, quam rectè cooperitus: quia in hoc duplex vocis fit reflexio, una ab aqua sursum, altera à recto deorsum, quæ sibi mutuò occurrentes confusionem pariunt. Porrò objectum Phonocamppticum agere etiam potest sulcata cespitibus, ac virgultis asperata planities, uti Kircherus se experientiā didicisse affirmat in campus patentibus, ac planis, ubi nec colles, nec aedificia, nec arbores conspiciebantur, sed virgulta tantum, ac sulci occurrabant. Hæc verò Echum causare inde collegit Kircherus, quod aliis temporibus, quando sulci eversi, & virgulta excisa erant, Echum amplius audire non potuerit.

### ARTICULUS III.

**Quale sit medium Phonocamppticum,  
& quomodo per id sonus reflexus  
propagetur.**

**N. LIX.** **D**ico: Medium Phonocamppticum est aér, & quidem primarium, ac optimum, secundarium verò potest etiam esse aqua, imò fortè etiam ignis. Ratio est: quia medium Phonocamppticum debet correspondere medio Phonicō, per quod sonus directus

propagatur; atqui medium Phonicum primarū  
ūm, & optimum est aēr, ergo etiam medium  
Phonocampicum, per quod sonus reflexus  
propagatur, est aēr. Minor est certa ex dictis.  
Major etiam claret, quia sicut tonus reflexus  
correspondet directo, sic etiam medium Phono-  
campicum debet correspondere medio Phoni-  
co; præterquam. quod nullum, & melius me-  
dium assignari possit. Id tamen verū est: quod  
aēr impurus, & fæcibus abundans non sit tam  
commodum medium ad propagationem soni re-  
flexi, sicut aēr purus, & defæcatus: per hunc  
enim multò clarius, & celerius, item ad majus  
spatium species soni reflextuntur. Ratio utrius-  
que partis desumitur ab experientia: tempore  
namque pluvio, nebuloso longè debilius, tar-  
dius, & ad minus spatium percipitor Echo, ubi  
est contra tempore fereno, & post pluviam, dum  
vapores, & exhalationes aërem condensantes  
deterræ sunt, longè citius, elatius, & in majus  
spatium sonus reflexus auditur. Sicut vero per  
aërem purum citius, per impurum tardius  
revehitur sonus, ita etiam per aërem minus  
quietum debilior, per magis pacatum viçaci-  
or, distinctior repellitur Echo. Testantur id  
tranquilla noctis tempora, in quibus Echo ce-  
lerius, melius, & ad maiorem multò distan-  
tiam auditur, ac de die; ratio in promptu  
est: quia noctu dum tacet omnis ager, pecu-  
des, pictæque volucres, circuli aëri, qui spe-  
cios

\* X 105 X \*

cles soni directi ab objecto Phonocamptico re-  
vehunt, placidiūs, & sine confusione redeunt,  
cūm nihil sit, quod ordinatum prohibeat re-  
gressum. Eadem de causa Echo nocturna solet  
esse expressior, plurēsque vocum syllabas refer-  
re, uti Marinus Mersennus fatetur: se in valle  
Montmorentia Echum observasse, quæ diu tan-  
tum septem, noctu verò quatuordecim syllabas  
repetebat. Cujus quidem rei causa, inquit Kircho-  
rus, alia non est, nisi nocturni aëris summa tran-  
quillitas, & imperturbata consistentia, diurni verò  
innumeris motibus agitati discontinuatio, unde &  
vox consequenter variis veluti obseculis impedita  
minas se celerem præstat, & antequam ad aurem  
loquentis ab objecto Phonocamptico revcha-  
tur, plus temporis elabitur, locumque dat, ut  
plures syllabæ ante priorem occursum profo-  
rantur.

## ARTICULUS IV.

**D**e Actinobilismo Phonocamptico, sive  
de soni reflexi radiatione.

**N**.LX. **Q**uamvis Aristoreli lib. 2. de anima  
c. 8. tex. 8. magis placuerit sonum  
reflexum pilæ lusoriæ è pariete resilienti, quam  
humini ab opaco refleco assimilare, quia tamen  
modico solum discrimine distinguuntur, multi  
ex peritis Authoribus cum Plancano, & Kirche-  
ro sonum inter, & lumen parallelissimum consti-  
tuentes sonum reflexum ad leges Catoptricas

revocârunt, quod præcepta ex dicto parallelismo deducta Echotechonicæ, & praxi non repugnarent. Ut autem de Actinobilismo clarius sequè, ac brevius procedamus, nonnullas definitiones, & hypotheses in præsenti materia uitatas præmittendas censuimus. Est itaque Actinobilismus Phonocampticus soni reflexi radiatio ad similitudinem Actinobilismi Photici, qui est radiatio luminis. Phonocampsis, ut supra jam dictum, est reflexio soni, aut vocis. Objectum Phonocampticum, ut pariter dictum, est obstaculum vocem in se impactam reflectens: tale autem est vel planum, vel concavum, vel sphaericum, vel parabolicum, vel hyperbolicum, vel ellipticum, ut in annexis figuris patet. Linea Phonica, seu vocalis, C. D. (Fig. 4.) est, per quam sonus usque ad objectum Phonocampticum propagatur. Linea Phonocamptica est, quam vox, aut sonus ab objecto reflectitur, tales sunt lineæ C. E. C. F Punctum Phonicum, seu centrum est, ex quo Phonica linea dicit initium, punctum vero Phonocampticum, ex quo linea Phonocamptica orditur. Primum notat litera D, secundum litera C. Linea Orthophona tam Phonica, quam Phonocamptica est, quæ ab objecto ad angulos rectos, seu perpendiculariter reflectitur. Linea Loxophona est, quæ obliquè in objectum Phonocampticum incidit, & ab eo reflectitur; hæc potest esse quadruplex: vel enim in alcum reflectitur ex imo,

imo, & tunc dicitur Anophona, vel descendit ex alto in imum, & tunc est Catophona, vel dextrorum, vel sinistrorum, si v.g. ex puncto D. reflectatur in punctum C. His obiter notatis sequentes jam formo hypotheses.

N. LXI. Omne punctum phonicum radiat in orbem ex natura sua; ratio est: quia aer commotus a sono in orbem crispatur, in aere autem diffuso effunditur circumquaque sonus. Dicitur autem ex natura rei, quia per accidens potest aliquando, si occurrat obstaculum, impediri. Radiat autem sonus per lineas brevissimas, si nempe liberè diffundatur, quod ex communij Philosophorum axiomate comprobatur: qui consentaneè dicunt naturam ubique per viam brevissimam operari, & terminum suum attingere.

N. LXII. Omne, & solum id audiri potest, cuius sonoræ lineæ ad aures pertingunt; Si enim sonus per longiorem propagationem debilitatur, organum auditū debite moveare nequit, atque ita neque audiri potest. Quemadmodum autem nimia proiectio sonum imminuit, ita multiplex reflexio in unum radians punctum eundem vehementer intendit, propterea, quod etiam in sono virtus unita sit fortior. Hæc reflexio soni fit vel in se, vel in oppositam partem, qui eò tardius auribus sistitur, quod remotius est objectum phonocamppticum, sive illud sit solidum, & sono impervium, sive etiam liquidum, impervium. Unde

N. LXIII.

N. LXIII. Quæres 1<sup>mo</sup>. An sonus incidens in objectum phonocamppticum perpendiculariter reflectatur in se ipsum? Resp. affirmativè. Nam sit objectum phonocamppticum A B. punctum phonicum D radians in punctum C per huncam phonicam C D, ad A B perpendiculararem tunc si sonus non reflectetur ex punto C in punctum D per eandem lineam C D, sive in seipsum, sed in aliquod punctum à punto D distinctum, angulus reflexionis esset inæqualis incidentiæ angulo, quod non. Vide figuram 4<sup>am</sup>. Hinc vox clamantis in valle contra rupem, si sonum pars aliqua rupis perpendiculariter excipiat, revertitur ad clamantem.

N. LXIV. Quæres 2<sup>do</sup>. Quomodo sonus incidens in objectum phonocamppticum obliquè reflectatur? Resp. cum quodam recentiorre Mathematico reflecti in partem oppositam, ita, ut si sonus à punto E. (Fig. 4.) per lineam Loxophonam E. C. ad objectum phonocamppticum A B. obliquam incidat, reflexio contingat per lineam C F, non verò per C G Ratio huius est: quia si sonus reflectetur versùs eandem partem E. v. g. per rectam C G. angulus reflexionis A C G minor foret angulo incidentiæ A C E; ergo cùm angulus reflexionis æqualis sit angulo incidentiæ, ut certum suppono, reflexio in hoc casu fieri non potest. nisi per lineam C F, hoc est in partem ipsi C E. oppositam. Indè sequitur 1<sup>mo</sup>. Solam lineam perpendiculararem sonoram reflectiā scipiam, addo,

Vocem clamantis contra murum , aut rupem non semper reverti ad clamantem , nec efficere Echum , quando nempe obliquè in objectum phonocampicum incidit.

N. LXV. Quæres 3tiò. An sonus , si objectum phonocampicum concavum hemisphæricum sit , revertatur ? Resp. Si objectum phonocampicum sit hemisphæra concava A B . (vide Figuram 5tan) cuius centrum sit C , & sonus emittatur ex C , & incurrat in superficiem hemisphæricam , dico , quòd tunc eodem revertatur , & mirificè intendatur sonus , quia omnes lineæ sonoræ directæ tunc incident perpendiculariter in superficiem concavam , consequenter in se ipsas versus punctum C reflectuntur ; & cùm omnes sint inter se æquales , omnes eodem tempore in dicto punto C concurrunt . Quòd si tamen punctum phonicum D . è regione convexitatis objecti phonocampici constituantur , sonus non tantum non intenditur , sed debilitatur , quia radii sonori reflexi non convergunt versus D , sed divergunt versus E , F , & G , H .

N. LXVI. Quæres 4tiò. Utrum cubicula ita disponi possint , ut quod in aliis conclavibus etiam submissa voce dicitur , in uno eorum audiatur ? Resp. Kircherus multis id modis fieri posse , qui de his multa differit lib. 9. Musurg. part. 4. c. 4. Pragmatiâ ima , aitque se in cognitionem venisse ex officina subterranea cuiusdam Chy-

Chymici, in qua nulla erat fenestra, nullumque spiraculum aliud, sed tantum porta exigua, & arcte clausa, atque canalis ad sumum emittendum deductus per murum: quidquid enim extra propere canalis orificium dicebatur, clarè intus, ac perfectè audiebatur. Ad hujus imitationem ipse Kircherus construxit sibi infundibularem tubum ex horto Collegii Romani in cubiculum suum deductum, qui externas voces in cubili suo referebat. Verum ut ad quæsumum directe respondeam, dico cum Kirchero: Si tubi plumbèi, alteriusve materiæ in modum infundibuli fiant, ita, ut crater infundibuli sit in aliis conclavebus, collum verò oblongum per occultos, cum primis tortuosos meatus deductum, desinat tandem in cubiculum v. g. Principis, continget, ut, quidquid in aliis conclavebus, portis prius, ac fenestris arcte occulatis, dicetur, etiam submissè, quin etiam remotè ab infundibuli crater, à Principe percipiatur, maxime si aurem suo orificio applicet, aut non procul ab eo confixat. Quare si conclave alia ita disponerentur à sagaci Architecto, ut dicti infundibulorum crateres gypso incrustati artificium occultarent; loquentes sine ulla suspicione liberè vocem elevarent, & ita melius à Principe audirentur. Videatur Figura 6ta, ubi conclave Principis est A, cætera verò conclave B, & C, quæ quo minora fuerint, & humiliora, eò melius vocem intrà infundibula, & canales BA, &

CA

**C**A intrudent. Dixi verò suprà: quod per contortos meatus melius sonus percipiatur, ratio est: quia in tortuosis meatibus, vel in contortis circulis magis intenditur, quam in rectis, cum per rectos fere sine reflexione, per circulares verò cum multiplici reflexione propagetur. Patet rei veritas in tubo contorto extra murorum angustias in patulo existente: nam si radius v. g. sonorus A. impehatur in B, reflectetur in C, postea in D, tum in E, & in F, tandemque erumpet ex G. Hujus artificii, intensionis, & propagationis soni gnarus videtur fuisse Magnus ille Alexander, qui ad exercitum suum convocandum non aliud utebatur instrumentum, quam circulari tubo, quem fig. 7ma repræsentat. Cujus quidem sonus adeò vehemens fuisse dicitur, ut singulis militibus in quantumvis disperso exercitu esse videretur. Formam hujus instrumenti reperit P. Kircherus in antiquissimo codice Vaticano, qui de secretis Aristoteлиis ad Alexandrum inscribitur. Diameter ejus quinque cubitorum, & sonus ad centrum stadia exauditus affirmatur.

**N LXVII. Quæres 5to:** An aulæ, cubicula, ambulacula secundum superficies parabolicas ita disponi possint, ut auris in certo puncto consistens aliis nihil audientibus sonos submissos distinctè percipiat? Resp. Multos præscribit Mersennus in sua harmonia universalis modos similia aulæa construendi, qui ramen Kircheri non

nos probantur. Alium ipse tradit in proxim de-  
ductum. Aula sit, inquit ille, CDEF, cuius  
longitude FE, altitudo CF. In muro CF  
excava parabolam CAF, cuius focus sit, seu  
punctum acusticum G, axis AGH, eaque intus  
dexterè perpolita ac lævigata; in hac aula quid-  
quid dictum fuerit etiam submissè, maximè ver-  
sus oppositum murum DE, auris in puncto G  
constituta percipiet. Sit enim vox prolatæ cir-  
ca H: cum ea non sit punctum indivisibile, sed  
velut corpus latitudinem habens; radiabit in  
parabolam CA, F, non permodum coni, sed  
permodum cylindri sonori, cuius radii sint H  
G, IO, LP &c. axi AGH, paralleli. Reflec-  
tur ergo omnes à superficie polita parabolæ, &  
concurrent in puncto G velut foco parabolæ,  
tibi sonum propter radiorum unionem inten-  
sum auris constituta clare capiet. Vide figur-  
am. Porro: Si in altero muro DE fiat alia  
parabola DBE, cuius focus, seu punctum acusti-  
cum sit H, axis communis cum priori parabola  
BHG, adhuc meliorem successum res habebit,  
si os loquentis sit in puncto H, & loquatur con-  
tra parabolam DBE, tum enim omnes radii so-  
nori incidentes in superficiem parabolæ v. g. in  
puncta R, S, T, V, reflectentur versus alteram  
parabolam CAF per radios axi HG parallelos,  
ideoque omnes à dicta parabola CAF reflecten-  
tur in punctum G. Quod autem radii ex H in  
parabolam DBE incidentes reflectantur per ra-  
dios

dios axi HG parallelos, patet ex eo, quod alioquin anguli reflexionis non essent aequales angularis incidentiae.

N. LXVIII. Quæres 6rđ. Utrum loquentes eodem tempore in eodem cubiculo successivè audiri possint? Resp. id fieri posse, si v. g. unus loquens in medio, & alter in puncto H consistat, tunc enim vox loquentis in puncto H versus parabolam G radians tardius ad autem in puncto C constitutam perveniet fig. 8. Quomodo autem ellipticum tholum formare possumus, intrà quem plures voces ad unum punctum, & una vox ad plura puncta reflectatur exhibet fig. 9. In tali enim tholo omnes voces in punctis LMN positæ reflectentur in P, & vox in F posita reflectetur ad omnia puncta LMN &c.

## ARTICULUS V.

Explicat organum vocis, & resolvit quedam problemata ad præsentem materiam pertinentia.

N. LXIX. **M**ulta omnino humani corporis conditor DÉUS apta formandas voci fabricavit instrumenta, videlicet pulmones, thoracem, five intercostales musculos, asperam arteriam, five tracheam, laryngem cum glottide, epiglottiden, gurgulionem, fauces, linguam, dentes, labia. Pulmones quidem molles, ac spongiosos: qui veluti folles aëri attrahendo, ac emittendo deserviant. Thoracem,

qui muscularum motitum interventu pulmo-  
nes comprimendo per asperam arteriam (in qua  
fit prima aëris allatio) aërem protrudit. Est au-  
tem arteria aspera via suspirii, quæ à faucibus  
ortum ducens per collum in pulmones decurrit.  
Dicitur aspera ob inæqualitatem, cum è variis  
cartilaginibus veluti annulis, venulis, arterio-  
lis, ac nervis intextis sit compacta. Superior  
pars arteriæ sita ad fauces larynx vocatur, quæ  
aërem, ac sonum per dictam arteriam emissum  
modulatur, acuit, intendit, aut frangit. Habet  
autem in fine fissuram quandam, quæ glottis no-  
minatur: hanc fissuram cooperit epiglottis, seu  
membrana cartilaginea, quæ cum spiritu & aë-  
re nunc erigitur, atque clapo aëre iterum de-  
primitur. Sequitur gurgulio, seu caruncula ro-  
tunda in extremo palato dependens, & superi-  
ore epiglottide, quibus tandem omnibus succe-  
dunt fauces, lingua, dentes & labia, quorum  
operâ vox à prioribus vocis instrumentis for-  
mata expositur, atque perficitur.

N. LXX. Quamvis autem omnia enumera-  
ta voci formandæ descriviant, Vesalius tamen  
putat, laryngen præcipuum vocis humanæ or-  
ganum, eō, quod pro ratione, & modulo vocis  
rimam ejus modò laxemus, modò contraham-  
us, quamobrem ad similitudinem tibiarum, &  
fistularum effecta dicitur; huic contradicunt  
alii epiglottiden primum vocis organum consti-  
tuentes. Verum horum sententiam non immo-  
ri-

ritò resellit Vesalius, cùm sine illa vox haberi possit, ut ex cantu avium colligitur. Galenus lib. 7. de Composit. instrumenta vocis præcipua docet esse asperam arteriam, laryngen, & epiglottiden, licet tria hæc rudimentum solùm quoddam vocis forment, cui dum adstipulamur, cætera: utì gurgulionem, palatum, linguam, dentes, vocein, ac sonum conformiter aliorum doctrinæ perpolire, ac perfectè figurare rectè affirmamus. Nam gurgulio quâsi plectrum ad suavitatem, & moderationem vocis conductus, lingua vocem dearticulatam in sermones format, dum aërem à cavitate arteriæ pulsum & in amplitudinem oris incidentem variè inflextit, & pro verborum varietate dispescit, ac distribuit. Palatus autem dentes & labra tantum voci accomodata sunt, quantum nimirum ille ut potest cavus. & asper vocem detinet eam circa latera congreginando; isti linguae iustum excipientes concentu quodam verba, syllabas, & literas commoliunt: hinc qui dentibus carent maximè anterioribus, difficulter, & imperfectè vocem efformant. Labra verò compressione, & diductione sua literas, ac syllabas magis redundunt distinctas.

N. LXXI. Ex his infero rīmō: Non omnia enumerata vocis instrumenta singularum vocum pronuntiationi æquè deservire. Vocalis namque A hiante larynge in imo gutture profertur, E paulò superius, I medium oris occupat,

pat, O finem, & labiis ad similitudinem figuræ, quâ latini eam pingunt, corrotundatis quasi ver-  
gunt, ut sunt PMBV, itâ ut labiis destitutis im-  
possibile sit eas pronuntiare; aliæ nonnisi lin-  
guâ, ut DLRT, aliæ nonnisi dentibus, ut CR  
SZ, aliæ nonnisi palatô, ut K, aliæ denique  
nonnisi gutture, ut A H.

N. LXXII. Interò 2dò: Lingua illa pluri-  
mum conducit ad ritè efformandam vocem, quæ  
lata, temperatè sicca, ac durior est. Primum  
paret in avibus humanam vocem imitantibus,  
quæ latiore lingua instruetæ sunt. Alterum ve-  
rò colligitur ex infantibus, ac chriſis, quorum  
omnes balbutiunt, illi quidem, quod mollio-  
rem linguam habeant, isti, quod musculi lin-  
guæ propter nimium humorem non possint, ut  
oportet, stabiliri. Dicuntur autem balbuti-  
entes, qui literam, vel syllabam prætermittunt,  
ut cùm dicunt *figidum juculum*, cùm tamen *fri-*  
*gidus juscum* proferre! deberent. Contingit  
autem balbuties ex triplici capite. 1mò. Ob  
linguae imbecillitatem; quo pacto experimur  
manum infirmam tremere. 2dò. Ob nimiam  
præcipitationem, quâ per saltus fit tranitus à  
prima ad tertiam omissâ secundâ. 3tiò Accidit  
ex nimia humiditate, ut dictum: quoniam la-  
certi linguae præ nimia humiditate in extremis  
nequeunt dilatari. His balbutientibus annu-  
merandi sunt *befantes*, & *blefi*, ac *drauli*. Prio-  
res dicuntur, qui syllabam unam alteri conti-  
nen.

nenter, ut postulat **vocabulum**, jungere nequeunt, sed in priori tantisper detinentur, sic v. g. volentes pronuntiare : *panem conflatuer papa*, sic effrerunt *papa panem cococonflanter popetunt*. Quo etiam sit, ut conantes submissè loqui non possint. Sit autem hæsitatio juxta Aristotelem problem. 14. sect. 11. à frigore attonitum reddente locutionis organum; quare exercitatio, aut vindicta concalafactum expeditius jam orationem formare potest, ut patet in picis, psittacis, & sturnis, qui loquaciores evadunt, si maledictam offam vorent. Porto solus homo ferè hæsitationis vitiò laborat; quoniam inter cætera animantia solus sermonem profert: hæsitatio autem est interruptio articulorum in dicens. Postiores, nempe blæsi, & drauli dicuntur, qui unam aut alteram literam proferre non possunt, ac hinc unam pro alia proferunt v. g. L locò R, D locò T, & sic *Pater noster* pro Pater noster, ut patet in infantibus, qui multas literas corrumpunt, & eas debitè proferre nequeunt. Contingit autem homines blæsos esse ex eo, quia aencyloglossò laborant, qua ratione linguam habent minus expeditam, & vibrationes, quæ desiderantur ad prolationem R exercere facile nequeunt.

N. LXXIII. Infero 3tio. Vocis humanæ genesis ità bellè posse describi: Musculis thoracis, seu intercostalibus comprimuntur pulmones; ex his aëris pulsus per arteriam asper-

ram deducitur, ibique in aërem aliud ad larynx usque oppositum retentum impingit; hic ad guttur, summamque arteriae partem illisus, sonat; ac vocem effingit, quam si epiglottis opposita non esset, formare non posset, quia tonus aëris sine percussione prosiliret. Hunc modum formandi vocem similem esse fistulæ notat Galenus. Ex quo colligere licet, quænam sit vocis humanæ natura, & quid definiri possit, scilicet: *Vox humana est sonus ab homine editus opus aspera arterie, laryngis, & epiglottidis cum intentione aliquid significandi.* Quæ definitio explicat vocis humanæ causam materialem, quæ est *sonus ab homine editus;* & efficientem, quæ est: *Opus aspera arteria, laryngis, & epiglottidis;* & finalem, quæ explicatur per postrema verba: *cum intentione aliquid significandi.* His breviter expositis ad resolutionem quorundam problematum vocem concernentium transgredimur.






N.LXXIV. Problem. Imitum: Unde proveniat in hominibus tanta vocum differentia, & varietas? & qua ratione fiat, ut alii canoram, alii asperam, alii amaran, alii gravem vocem habeant? Resp. id fieri ex asperæ arteriæ temperamento. Temperamentum siquidem siccum, efficit vocem canoram, claram, resonantem, & si siccitas prædominetur, tinnientem, stridulam, & clangosam. Temperamentum humidum, si sine affluxu humorum est, vocem facit fiseam, obscuram, confusam; si cum af-

fluxu humorum, raucam. • Temperamentum calidum, vel frigidum nullas per se vocis fundat differentias, sed tantum per accidens, prout calor larynx vel exsiccatur, vel dilatatur, frigus vero constringit, & coarctat. Temperamentum moderatum vocem sonoram, dulcem, blandam, limpidam producit. Figura arteriae anterior in longitudinem rotunda vocem facit æquabilem, sonoram, non distortam. Magnitudo afficit arterie meatum, qui si latus sit, & amplius, vocem reddit gravem, & magnam; si angustus, exilem & parvam, ut pueris, aliisque Novellis animalibus usuvenit, item feminis, spadonibus, sicutibus, & metuentibus: in his enim arctiora sonandi organa deprehenduntur, sicuti in fistulis, aut chordis gracilioribus. Labor causat vocem levem, puram, dulcem, & blandam, asperitas asperam, inæqualem, & insuavem. Aer inspiratus, & expiratus vel tenuis est, vel crassus: ille levem, hic gravem reddit vocem, id estque hyeme voices, quam aestate graviores sunt. Modus expirandi, semper celeriter, & cum copia tardè, & cum paucitate, vehementer, & cum conatu, remissè, & sine conatu, vocem efficit gravem, vel acutam, paucam, & magnam, stabilem vel tremulam. Inde

N. LXXV. Problem: adum: Cur metuentium, & iratorum vox sit tremula? Resp. Quia timore, aut ira correptis calor nativus ad partes cordis proximiores se recipit, & partes extremæ, seu à corde remotiores frigescunt; quia vero

Rigore membra contremiscunt, ut dentes, labia, lingua, & alia vocis organa, indè sit, ut vox edatur tremula. Conciliatur autem tremor in recensisit membris ex immoda spirituum agitacione, quæ subsultim fit. Multum etiam ad tremulam vocem confert concussio, & palpitatione cordis, quæ in timoratis, & iracundis usuvenerit. In sensibus vero vox tremula causatur ex imbecillitate eorum: quia vocem perfectè sustinere non valent; calor enim in Senibus intus magis colligitur, adeò, ut in partibus extremitatis magis tenuis sit, per exiguis, & ad continentiam perfectè vocem insufficiens; quapropter vox, cum emititur, quatitur, atque intemperie.

N. LXXVI. Problem: 3tium: Cur adolescentes puberes vocem acutam crescente ætate in gravem mutent? Resp. Adolescentes vocem acutiorē ideo emittere, quia tracheam habent tensiorem, ac laviorem, sicut cæteras corporis partes; hinc per vocis organum tensius, ac laevius sonus acutior emittitur; Senectus autem pelle rugis exasperat, & ideo in senescientibus vox etiam ingravescit. Est & alia causa, cur puéri per ætatem paulatim vocem mutent ex acuta in gravem: quia nempe tracheæ canalem habent angustiorem, qui successu temporis dilatatur; & quia in senectute hoc vocis organum rursus exsiccatur, & coangustatur, evenit, quod Senes gravem vocem iterum in acutam mutent.



*Breindt.*



D. O. M. A.  
**Quod Bonum Felix Fau-**  
**stum Fortunatumque Reipubli-**  
**cæ Christianæ, Ecclesiæ Catholicæ, In-**  
**clyto Marchionatui Moraviæ, Alme,**  
**Cæsareæ, Regiæ, ac Episcopali Univer-**  
**sitati Olomucensi Societatis JESU,**  
**& imprimis Inclytæ Facultati**  
**Philosophicæ eveniat.**

**AD MAJOREM DEI TER**  
**OPTIMI MAXIMI**  
**GLORIAM**

*Anno M. DCC. XLVIII. Mensa*  
*Majo die 30. ab hora matutina in magna Au-*  
*la Universitatis Olomucensis Collegit Societatis*  
*JESU actus publicus celebratus est.*

**In quo approbante Doctissimo**  
**Inclytæ Facultatis Philo-**  
**philicæ Collegio**

**CI. Illustrissimi, Perillustres, Nobiles,**  
**as Ingenui DD. AA. LL. & Philos. Baccala-**  
**reatus Candidati, ritu solemni, more, ini-**  
**tutoque Academico, primâ earundem**  
**AA. LL. & Phil. laurâ conde-**  
**corati sunt.**

SUB RECTORATU  
ADMODUM REVERENDI, ac EXIMII PATRIS

P. SEBASTIANI  
F R I D L

è Societate JESU,  
SS. Theol. Doctoris, Academicici Colles-  
gii, ac Universitatis Olomucensis Ejusdem  
Societatis JESU

RECTORIS MAGNIFICI

Annuente  
Reverendo, Clarissimo, ac Eximio Patre

P. IGNATIO THOMAS

è Societate JESU,

SS. Canonum, & SS. Theol. Doctor,  
in prænominata Abo: Universitate

AMPLISSIMO CANCELLARIO,  
Nec non Supremo, ac Generali Studiorum  
P. RÆ F E C T O.

PROMOTORE

Reverendo, ac Docissimo Patre

P. PHILIPPO LOSERTH,

è Societate JESU

AA. LL. & Phil. Doctor, Ejusdemque in  
in prænominata Universitate

Prefessore Regio, Publico, ac Ordinario,  
CUM LICENTIA ORDINARII.

# NOMINA

## *Illustrissimorum, Perillustrium, Nobilium, ac Ingenuorum DD. AA. LL. & Phil. Baccalaureatus Candidatorum Physi- & Mathemat. Auditor.*

1. Eruditus. D. Cajetanus Vitz Sil. Edelstadiensis. ex Conv. Pontif. Cæsar.
2. Erud. D. Carolus Gerzabek Sil. Græcensis.
2. Erud. D. Franciscus Latke Mor. Fulnecens.
2. Erud. D. Franciscus Zwach Mor. Datczicensis. ex Conv. Pontif. Cæsar.
2. Erud. D. Franciscus Schaußtal Mor. Olom.
2. Erud. D. Amandus Mahrboch Mor. Olom.
1. Perill ac Erud. D. Sigismund Eques de Tluk & Thoschonowitz Sil. Mega Hostzicens.
3. Erud. D. Simon Naiman Mor. Freybergens.
4. Erud. D. Ignatius Reznar Sil. Laschkovicens.
4. Erud. D. Joannes Haunalter Sil. Oppaviens.
4. Erud. D. Antonius Zaitz Sil. Zorensis
5. Erud. D. Joann. Babisch Mor. Krenovicens.
5. Erud. D. Joannes Habler Mor. Tribovienensis.
5. Illustriss. ac Er. D. Carol. L. B. de Gottschalkovshy Sil. Tzingeloviensis ex Conv. Pontif. Cæsar.
6. Erud. D. Ignatius Fuchs Mor. Eysgrubensis.
6. Erud. D. Adamus Pischeck Sil. Zorensis.
7. Erud. D. Jacobus Wistal Mor. Franckstein.
7. Erud. D. Ignatius Michel Mor. Mezrzicens.
8. Erud. D. Francis. Gründl. Sil. Franckenberg.
8. Erud. D. Josephus Katalus Mor. Ostraviensi.

9. { Erud. D. Francis. Kreibich Boh. Kamnicen.  
Erud. D. Jacobus Zdarzil Mor. Doloplac.  
Erud. D. Christophorus Niesner Sil. Lan-  
genbergensis.
10. { Erud. D. Francis. Plachi Mor. Wemislicen.  
Erud. D. Mathi. Lendenhaer Mo. Fulnec.  
Erud. D. Andreas Guntner Boh. Wichstad.  
11. { Erud. D. Joann. Kalcher Mor. Mega-Mez-  
rzicensis.
- Perill. ac Erud. D. Francis de Kolbnitz Sil.  
12. Michloviens. ex Conv. Pontif. Cæsar.
- Erud. D. Josephus Mautner Mor. Olomuc.  
Erud. D. Ignat. Christ Mor. Grumbergen.
13. { Erud. D. Wenceslaus Zdansky Bohem.  
Pardubicensis.
- Erudit. D. Georgius Deitschmanek Siles.  
14. Pischoviensis.
- Erud. D. Ignat. Winckler Mor. Langendor.  
Erud. D. Jos. Kollowratek Mor. Predlic.
15. { Erud. D. Philippus Nessel Sil. Schwidnic.  
Erud. D. Thomas Gavliczek Sil. Bukovien.  
Erud. D. Georgius Witzis Sil. Mega. Pe-  
trovicensis.
16. { Erud. D. Joannes Meindl Sil. Nissensis.  
Erud. D. Laurentius Magiera Sil. Loslensis.
17. { Erud. D. Francis. Christ Mor. Zwittaviens.  
Erud. D. Joann. Håas Mor. Holleschovien.  
Erud. D. Wilhel. Rörich Mor. Fridlanden.  
Erud. D. Carolus Christ Mor. Znoymensis.
18. { Erud. D. Josephus Badstieber Mor. Tev.  
to. Domenensis.  
Erud. D. Josephus Burcsch Mor. Klobucen.

29. Erud. D. Francisc. Chmel Boh. Landskron.  
Erud. D. Georg. Hoffmann Mor. Pardorff.  
20. Erud. D. Bernardus Krause Sil. Oppavicensis.  
Erud. D. Michael Titko Sil. Pschoviensis.  
21. Erud. D. Francis. Tkani Mor. Krzezicen.  
Erud. D. Gabriel Ries Boh. Landskronen.  
22. Erud. D. Georgius Kreczmer Sil. Tirnensis.  
Erud. D. Hieronym. Stöhr Mor. Schönber.  
23. Erud. D. Ignatius Hancke Mor. Turzanensis.  
Erud. D. Josephus Grosser Sil. Grunaviensis.  
Erud. D. Francisc. Ruprecht Mor. Hungariae Brodensis.  
24. Erud. D. Jacobus Obratil Mor. Hulinenensis.  
Erud. D. Philippus Leadenhammer Mor. Fulnecensis.  
Nobil. ac Erud. D. Joann. Zuilak de Lilienfels Mor. Iglaviensis ex Sem. S. Fran. Xav.  
25. Erud. D. Jacobus Kamenizky Mor. Sacromontanus.  
26. Erud. D. Carolus Pump. Siles. Freidenthal.  
Erud. D. Josephus Steiner Sil. Nissenensis.  
Erud. D. Joannes Keil. Sil. Freidenthalensis.  
27. Erud. D. Francis. Węczerek Mor. Olom.  
Erud. D. Laurentius Dorner Sil. Nissenensis.  
28. Erud. D. Franciscus Pauck Boh. Jablovicensis.  
Erud. D. Joann. Janussek Sil. Chabiczovic.  
29. Erud. D. Joseph. Forche Sil. Patshkovien.  
Erud. D. Bedorus Wrana Mor. Hulinenensis.  
30. Erud. D. Paulus Schiftarzik Mor. Wilkociensis.  
Erud. D. Franciscus Kukule Mor. Brunensis.  
31. Erud. D. Wencesl. Polik Sil. Ostervicensis.

- Erud. D. Andreas Lorentz Mor. Golden-  
 steinensis.  
 32. Erud. D. Francis Krause Sil. Patsekoviens.  
 Erud. D. Franciscus Poliawsky Mor. Igla-  
 viensis ex Sem. S. Franc. Xav.  
 33. Erud. D. Wencesl. Kittrich Mor. Lipnic.  
 Erud. D. Carolus Filibro Morav. Iglavien.  
 34. sis ex Sem. S. Franc. Xav.  
 Erud. D. Francisc. Kraus Mor. Tyrnaviens.  
 35. Erud. D. Andreas Köttner Mor. Vilnecen.  
 Erud. D. Francis Gerlach Sil. Patschkovi.  
 36. Erud. D. Joseph. Laczino Boh. Zilesnicen.  
 Erud. D. Franciscus Horalik Mor. Klobuc.  
 37. Erud. D. Ludovicus Sopuch Mor. Olomuc.  
 Erud. D. Franciscus Rzezniczek Mor. Dau-  
 braviensis.  
 Erud. D. Joannes Langsch Sil. Pilschenfis.  
 Erud. D. Wenceslaus Sekeni Mor. Hun-  
 no-Brodensis.  
 40. Erud. D. Simon Firley Mor. Jaktariensis.  
 41. Erud. D. Joannes Jekl Sil. Petersdorffensis.

*Cum his extra ordinem promoti sunt.*

- Erud. D. Joann. Zwerzina Boh. Altomautensis  
 SS. Canon. & SS. Theol. in annum 1. Audit.  
 Erud. D. Wencesl. Gartner Boh Altomautensis  
 SS. Canon. & SS. Theol. in annum 1. Audit.  
 Erud. D. Joannes Mischka Morav. Brunensis  
 Juris in annum 2. Auditor.  
 Erud. D. Joannes Sigovsky Mor. Cremficiensis  
 Juris in annum 2. Auditor.

*Erud.*

- Erud. D. Antonius Englisch Mor. Fridlandensis Metaph. & Ethico-Hist. Auditor.**
- Erud. D. Ignatius Richter Sil. Kravarnensis Metaph. & Ethico-Histor. Auditor.**
- Erud. D. Joannes Barvitz Mor. Slinensis Metaph. & Ethico-Histor. Auditor.**
- Erud. D. Joannes Graff Morav. Freybergensis Metaph. & Ethico-Histor. Auditor**
- Erud. D. Joannes Schmidt Bohem. Landskronensis Metaph. & Ethico-Histor. Auditor.**
- Erud. D. Josephus Trziska Morav. Tovaczoviensis Metaph. & Ethico-Histor. Auditor.**
- Erud. D. Josephus Wichnalek Bohem: Pokovicensis Metaph. & Ethico-Histor. Auditor.**
- Erud. D. Severinus Schneider Morav. Langendorffensis Metaph. & Ethico Hist. Auditor,**
- Erud. D. Wenceslaus Karmazin Mor. Eisenbergensis Metaph. & Ethico-Hist, Auditor.**
- 

## **Problemata à DD. AA. LL. & Philos. Baccalaureis resoluta.**

**Problema Physicum. An auditus potior visu ad eruditionem, & scientias?**

**Problema Phonocamppticum. An vox ita ad plures arte reflecti possit, ut non nisi à determinato percipiatur.**